FO… S LIBRORUM XXXIII, XX… XXXV, XXXVI, NATURA… ISTORIÆ PLINIANÆ, QUATENUS AD ARTEM PLASTICAM PERTINENT.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA.

SCRIPSIT

ADOLPHUS BRIEGER.

GRYPHIAE,
TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.
MDCCCLVII.

DE

FONTIBUS LIBRORUM XXXIII, XXXIV, XXXV, XXXVI, NATURALIS HISTORIAE PLINIANAE, QUATENUS AD ARTEM PLASTICAM PERTINENT.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ALMA

LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHICA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XIV. MENSIS SEXTILIS ANNI MDCCCLVII

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

ADOLPHUS BRIEGER

POMERANUS.

ADVERSARII ERUNT:

J. TÜLLMANN, STUD. PHILOL.

R. BEHMANN, STUD. PHILOL.

O. DRENCKHAHN, STUD. PHILOL.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

VIRIS

PRAESTANTISSIMIS

G. F. SCHOEMANNO,

L. URLICHSIO,

M. HERTZIO

PRAECEPTORIBUS

HUMANISSIMIS DOCTISSIMIS

OPTIME DE SE MERITIS

HAS LITERARUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

C. Plinius Caecilius in epistola ad C. Cornelium Tacitum (l. III ep. 5) naturalem historiam C. Plinii Secundi, avunculi sui, dicit opus esse diffusum, eruditum nec minus varium, quam ipsam naturam. Id quod non magnificentius quam verius judicare videtur. Nam quum Plinius id propositum haberet, ut omnia attingeret, quae Graeci τῆς ἐγκυκλοπαιδείας vocarent (Plin. hist. nat. praef. § 14), non solum de mundo universo, de terris, de herbis, de animalibus, de medicamentis, de metallis, de lapidibus diligentissime et copiosissime exposuit, sed etiam permulta, quae ad artium historiam pertinent, adjecit (l. XXXIII—XXXVII). Neque tamen majore fuit diligentia quam modestia: nam ingenua simplicitate non solum fatetur, ea, quae exponat, se longe maxima ex parte aliis debere, sed etiam auctorum nomina praetexit singulis in voluminibus (cf. p. 7; p. 8 not. 2; Plin. praef. § 20; § 21).

Quodsi jam quaerimus, quomodo Plinius usus esse videatur libris auctorum illorum, locus, ex quo appareat, est apud Plinium Caecilium (l. c.), ubi haec

sunt: (Plinius) *electorum commentarios centum sexaginta mihi reliquit, opistographos quidem et minutissime scriptos.* Ex his commentariis Plinius ea, quae in naturalis historiae libris tradit et exponit, sumpsisse videtur. Sequitur ergo, ut, quum naturalem historiam componeret, ipsos auctorum libros fere non in manibus habuisse putandus sit. Et hoc quidem quo pertineat, mox videbimus.

Ante omnia vero tenendum est, quae apud Plinium inveniamus, longe maxima ex parte non Plinii esse, sed aliorum auctorum. Quum autem eorum librorum, ex quibus Plinius ea hausit, quae in naturali historia exponit, pauci nobis servati sint, minime mirum est, permulta tradi a Plinio, quae non inveniantur apud alios scriptores. Multis igitur locis si statuere volumus, utrum vera esse videantur an falsa, quae ab uno Plinio traduntur, judicium pendebit ex auctoritate, quam apud nos hic obtineat. De Plinii autem fide et auctoritate si quaerimus, id unum fere videndum est, utrum judicio et acumine ea, quae apud auctores suos invenit, perpenderit et examinaverit, nec ne. Atqui hodie constat inter plerosque, Plinium nullo paene judicio, nulla fere earum rerum, de quibus agit, notitia temere auctores suos secutum esse: id quod mox satis multis, quibus agitur de artibus, locis in hac commentatione tactis, apparebit [1]). (Cf. etiam Bernhard. Grundr. d. Röm. Lit. ed. III.

1) Longe aliter de Plinii ingenio et pulchri, quod in artibus est, sensu judicavit vir doctrina, acumine, moribus excel-

p. 733 sq.) Quum igitur ipsius Plinii auctoritas nihil debeat apud nos valere, id unum nobis relinquitur, ut, quem quoque loco auctorem secutus sit, quaeramus. Et hic quidem neminem fugiet, si quis hoc sibi proponat investigandum, ei saepissime accuratius de scriptoribus, quos Plinius auctores habuisse videatur, quaerendum et disputandum fore, praecipue de iis, de quibus, quum adhuc a viris doctis neglecti sint, nondum omnia satis constent. Duae igitur quaestiones artissime inter se cohaerentes explicandae et explanandae sunt, si quis, quid quoque loco fidei sit Plinio habendum, statuere velit.

Sed de tota naturali historia hujusmodi quaestionem institui haud scio, an eorum magis intersit, qui de mundo, de terris, de herbarum et metallorum vi et natura quaerunt, quam eorum, qui in vita, moribus, institutis Graecorum et Romanorum exponendis vel in artium apud veteres primordiis et incrementis illustrandis versantur. Accedit, quod in omnibus naturalis historiae libris suum cuique auctori vindicare tam difficilis et longinquae est quaestionis, ut ab uno homine vix praestari posse videatur. Longe alia est eorum librorum ratio, in quibus multa inve-

---

lens, quem nuper praematura morte nobis ereptum etiamnunc recenti dolore lugemus, C. F. Hermannus, qui in libello de Romanorum artium intellectu contra Friedlaenderum scripto (p. 40—48) historiae naturalis auctorem hominem artis plasticae et picturae operum non solum amantem, sed etiam intelligentem fuisse significat iis potissimum ad probandam sententiam locis usus, quos omnes ad unum judicia aut Graecorum auctorum aut Varronis continere infra demonstrabimus.

niuntur, quae ad artium historiam pertinent (l. XXXIII —XXXVII). Primum enim nemo est, quin intelligat, in septima maximi operis parte multo facilius illud, quod diximus, praestari posse, quam in toto opere. Porro quod ad fructum, qui ex tali quaestione percipiatur, attinet, ita sese res habet. Quum ea, quae scimus de sculptoribus, statuariis, caelatoribus, pictoribus Graecis, de excellentium artificum ad artem perficiendam inventis, de signis picturisque nobilissimis, longe maxima ex parte hauserimus ex duobus fontibus, ex Plinii naturali historia et ex Pausaniae descriptione Graeciae, haud scio, an etiam plura Plinio debeamus, quam Pausaniae. Hic enim in urbibus Graeciae describendis de artificum operibus minime aequabili ratione agit. Nam quum Nemesim (I, c. 33) et Jovem Olympium Phidiae (V, c. 11), thronum Amycleum (III, 18), arcam Cypseli (V, 17 —19), picturas quasdam Polygnoti (X, 25—31) satis accurate et copiose describat, permultas statuas et picturas maxime insignes modo tangit quasi transiens. De artificibus autem ipsis perraro agit; quid cujusque proprium fuerit, ne uno quidem loco, si recte memini, demonstrat. Plinius contra aetates artificum tradit, de multis operibus acute et ingeniose dicta aliorum refert, quid praestantissimus quisque artifex suae arti contulerit, egregios auctores secutus docet. Quae quum ita sint, nemo facile infitiabitur, operae pretium fore, si quis ea, quae apud Plinium ad artium historiam pertinent, singula satis firmis argumentis allatis vindicet suis auctori-

bus. Quamquam nemo hoc in omnibus locis assequi poterit. Namque in talibus quaestionibus multa semper non possunt demonstrari, nisi probabili argumentatione, multa omnino non investigantur. Neque tamen id, quod praestari potuerit, quantulumcunque erit, non erit frugiferum.

Quae quum ita sese habere viderentur, nos, quamvis exigua facultate, speravimus, nos operae pretium facturos esse, si quaereremus, quos auctores Plinius secutus esset in iis libris, qui magna ex parte ad artium historiam pertinent.

Ad hanc autem quaestionem nos non primi accessimus. Exstat enim Heynii dissertatio, quae inscribitur: Von den Schriftstellern, denen Plinius in seiner Kunstgeschichte folget (Antiquar. Aufs. t. II, no. 2). Et Heynius quidem pleraque, de quibus disputandum erat, leviter modo et strictim tetigit. Octoginta autem annis post Heynium O. Jahnius, vir doctrina et ingenio praecellens, scripsit commentationem maxime egregiam, quae inscribitur: Ueber die Kunsturtheile des Plinius (Berichte der Leipz. Gesellschaft d. Wissensch. 1850 p. 114 sqq.): qua dissertatione, quamquam non omnia recte statuisse videtur, tamen viam, qua ingrediendum esset, primus monstrasse putandus est.

Nunc antequam ad ipsam rem accedamus, exponendum est, quomodo nos in hac quaestione explicanda versati simus et quid potissimum nobis explanandum et demonstrandum sumpserimus. Nos igitur, quum primum ea, in quibus explicandis ver-

sabitur disputatio, coepimus perpendere et examinare cogitatione, omnes locos, qui aliquo modo viderentur ad artium historiam pertinere, suis auctoribus vindicare statuimus: reliquos contra omnino non tangere. Consentaneum igitur fuit, de iis modo auctoribus dicendum videri, quos illis locis Plinium auctores habuisse verisimile esset. Et hoc quidem etiam nunc tenuimus. Nihil igitur apud nos invenies de medicis, non multa de historicis, quum de iis potissimum scriptoribus egerimus, qui aut peculiaribus libris vel de artibus vel de artificum vitis et operibus scripsisse, aut in libris alius argumenti saepius talia tetigisse atque diligentius exposuisse viderentur. Et primum quidem, ut diximus, in animo erat, quae apud Plinium ad hujus disputationis summam pertinerent, ea omnia quibus ex fontibus fluxissent, demonstrare. Mox tamen visum est, quae in libro XXXV de pictura traduntur et exponuntur, ea ab hac disputatione excludere. Quod ut statueremus, id nos adduxit, quod diu illa tractantes et cogitatione perpendentes plerisque locis nihil certi nihilque probabile, quod cum iis, qui hunc librum lecturi essent, communicare operae pretium videretur fore, assecuti eramus. Eos tamen locos non praetermisimus, quibus de summis pictoribus ita agitur, ut, quid potissimum quisque picturae contulerit, judicetur. Quamquam de his locis non peculiari capite quaesivimus, sed in eo, in quo de Xenocrate, Menaechmo, Antigono, aliis artium scriptoribus Graecis disputavimus. Duos libros, XXXIII et XXXVII, omnino non attigimus,

quod videbamus, neque facile esse et fortasse parum frugiferum demonstrare, ex quibus fontibus ea, quae a Plinio de caelatura et de scalptura referuntur, fluxissent. Ita factum est, ut hac commentatione ea modo amplexi simus, quae ad artem statuariam, ad artem plasticam, ad sculpturam pertinere viderentur. Neque haec potissimum nobis sumpsisse poenitet. Nam quum maxime egregii et paene divini poëtae floruerint in Graecia, quum pictores ingenio et arte excellentes et a popularibus et a Romanis scriptoribus summis laudibus ferantur, tamen est una ars signa faciendi, quam a Graecis ad eam perfectionem et absolutionem perductam esse omnes fateantur, ut inter recentiores artifices ut quisque proxime ad Graecorum praestantiam accesserit, ita omnium sententiis maxime probetur.

Nunc quum sic reddiderimus rationem, qua de causa illa potissimum visum esset suis auctoribus vindicare, restat, ut moneamus, nos statuisse supervacaneum videri, de iis locis fusius et copiosius disputare, in quibus nihil satis probabile assecuti essemus. Ne tamen negligentia eos praeteriisse putaremur, decrevimus data occasione singulos indicare.

Quodsi jam ad ipsam rem accedimus, apparet ex iis, quae supra (p. 1) diximus, universam quaestionem catalogis auctorum a Plinio conscriptis quasi fundamento niti debere. De quibus catalogis id potissimum hic videtur monendum, praeterea errata, quae librariis imputanda sint, id quoque in iis notandum esse, quod ne in iis quidem nominibus, quae

multis scriptoribus communia fuerunt, quis intelligendus sit, accuratius significatur, velut in Dionysio (cf. Hard. in ed. Plin. vol. I, p. 58; Fabr. Biblioth. Graec. tom. V p. 405 sqq.) et in Apollodoro (Hard. I p. 53). Ex qua Plinii negligentia de auctoribus, quos secutus sit, quaerentibus multum difficultatis nasci necesse est. Censemus autem auctorum indicibus eam auctoritatem tribuendam esse, ut Plinius eos in singulis libris putetur scriptores secutus esse, qui in catalogis eorum nominentur, nisi probabili argumentatione Plinium aut librarios errasse, possit demonstrari.

Nunc quum de auctorum catalogis dictum sit [2]), hic significabimus, quo ordine de singulis rebus, de quibus deinceps disputandum erit, agere decreverimus.

---

2) Quum quaestionem de auctorum indicibus attigerimus, operae pretium videtur esse, errorem quendam omnium, quod sciam, virorum doctorum, qui naturalem historiam ediderunt, notare. Sunt enim in exemplaribus typis descriptis auctorum nomina in librum primum inserta ita, ut singulorum librorum elenchis scriptorum eorum, quos in quoque libro Plinius secutus sit, nomina subjiciantur. In primo igitur libro invenies catalogos non solum in libris, qui typis descripti sunt, omnibus, sed etiam in multis et iis bonis libris manu descriptis. Neque tamen non injuria illum locum obtinent. Scribit enim Plinius noster in epistola ad Titum (§. 20): *In his voluminibus auctorum nomina praetexuimus.* Infra autem (§. 32): *Quid singulis contineretur libris, huic epistolae subjunximus.* Jam igitur his locis inter se comparatis effectum est, Plinium quidem non conjunxisse elenchos cum catalogis. Addimus tamen alium locum, qui est in libro XVIII (§ 23), ubi Plinius, *Sapientiae vero auctores*, ait, *et carminibus excellentes quique alii illustres viri composuissent, quos sequeremur,* *praetexuimus hoc in volumine.* Sed haec hactenus.

Primo igitur capite de artium scriptoribus quibusdam Graecis, quos Plinium secutum esse constat, de Xenocrate, Menaechmo, aliis agemus.

Capite secundo demonstrabitur, quibus auctoribus Plinius ea debere videatur, quae in sectione XIX libri XXXIV de arte statuaria et tradit et disputat.

Capite tertio quaeretur, quos auctores Plinius secutus sit in superiore libri XXXIV parte (§ 1—48) iis locis, quibus de artificibus et signis agit.

Capite quarto demonstrabitur, ex quorum auctorum libris ea sumpta sint, quae in libro XXXV (§ 151—158) traduntur de arte plastica.

Capite quinto, quae in libro XXXVI (§ 9—43) de sculptoribus legimus, vindicabuntur suis auctoribus.

Caput I.

De artium scriptoribus Graecis, quos Plinium secutum esse constat.

Ex auctorum indice libri XXXIV discimus, Plinium ea, quae de arte statuaria et de statuariis excellentissimis Graecos auctores secutus tradit, his debere scriptoribus:

Pasiteli, qui mirabilia opera scripsit, Antigono, qui de toreutice, Xenocrati, qui item, Me-

naechmo, qui item, Duridi, qui item, Heliodoro, qui de Atheniensium anathematis.

Eadem nomina sunt in libri XXXIII catalogo, ubi additum:

Menandro, qui de toreutis.

In libri XXXVI catalogo unius ex his Pasitelis nomen invenitur.

Antequam de his scriptoribus quae assecuti simus, proponamus, de re quadam disserendum videtur, quae, etsi per se levior est, tamen ad universam quaestionem explanandam non mediocriter pertinet. Legimus in auctorum indicibus, Antigonum, Xenocratem, Menaechmum, Duridem de toreutice libros composuisse, quum ex nonnullis libri XXXIV locis appareat, eos de arte statuaria scripsisse. Nam in sectione XIX (§ 83) Plinius, *Xenocrates,* ait, *Tisicratis discipulus, ut alii, Euthycratis, vicit utrosque copia signorum et de sua arte composuit volumina.* Scripsit igitur Xenocrates non de caelatura, sed de arte statuaria. Item Menaechmus et Antigonus de arte statuaria scripserunt. Nam quum et ipsorum inter statuarios mentio fiat, additur, eos de sua arte condidisse volumina (§ 80 § 84). Duridem denique ut de arte statuaria scripsisse videri censeamus, id nos adducit, quod ex loco quodam, qui est in paragrapho LXI, apparet, eum de Lysippo statuario egisse. Accedit, quod, quum clari caelatores plerique post Duridis aetatem floruerint (Plin. l. XXXIII § 156), minime verisimile est, jam tum exstitisse historicum, qui de toreutis et de arte toreutica peculiari libro ageret.

Jam igitur non dubium erit, quin Xenocrates, Antigonus, Menaechmus, Duris de arte statuaria scripserint. Videtur autem illud *de toreutice* non ab ipsis auctoribus profectum esse — apud Graecos enim scriptores vox τορευτική nunquam fere non habet illam caelandi significationem — sed a Plinio, qui etiam alio loco (l. XXXV § 77) vocabulo toreutice universam artem statuas faciendi significat. Sed jam revertendum videtur ad ejus disputationis, quam instituimus, summam.

Prellerus in eo libro, quo Polemonis quae supersunt, collegit, digessit, notis auxit, *Scriptores*, ait, *artium in universum triplici suam materiam ratione tractasse videntur, ut aut de pictorum et statuariorum nominibus et vitis inquirerent scholasque earum et successiones ad certam seriem revocarent, velut fecit praeter Antigonum et Adaeum atque Polemonem Callinus Rhodius*, (cf. Paus. V. c. 30 § 1: Οἱ πολυπραγμονήσαντες σπουδῇ τὰ ἐς τοὺς πλάστας) *aut ut argumenta* (διαθέσεις) *picturarum nobilium explicarent indeque, quae ad artium historiam et antiquitates attinerent, derivarent, velut Adaeus scripsit* περὶ διαθέσεων; *aut denique ita, ut omnis artis pingendi et statuas faciendi sive disciplinam quandam sive historiam condere conarentur, quod secuti esse videntur, qui scripserunt* περὶ γραφικῆς s. περὶ ζωγραφίας: *quorum alii his ipsis artibus, de quibus scripserunt, nobilissimi erant, velut Apelles et Melanthius (Pl. XXXV § 79; Diog. Laert. l. IV, 18), alii in antiquariorum modum has res tractabant, velut Duris Sa-*

mius (*Diog. Laert. I, 38*) *et Juba, doctus ille Mauretaniae regulus qui in commentario* περὶ γραφικῆς *adhibetur ab Harpocr. p. 156, 1, Bekk. in secundo libro* τῶν περὶ γραφικῆς *a Phot. Bibl. p. 103, a, 32 Bekk. in octavo* περὶ ζωγράφων *ab Harpocr. p. 144, 2.* Haec Prellerus proponit, pleraque recte judicans, non omnia. Fugit enim virum doctissimum, non uno scriptorum genere Duridem Jubamque et Apellem Melanthiumque complectendos fuisse. Quid enim ii, qui *in antiquariorum modum* de artibus scribunt, aliud sequuntur, nisi ut *de artificum nominibus, vitis, scholis, successionibus* quaerant? Duris igitur et Juba primo generi erant adscribendi. Nobis igitur eorum, qui de artibus scripserunt, haec tria genera videntur fuisse: primum eorum, qui suae artis rationem et disciplinam tradiderant, velut Apelles et Melanthius: et hi quidem non pertinent ad hanc quaestionem; alterum eorum, qui de artificum vitis quaesiverunt et, quid potissimum suae quisque arti contulisset, demonstraverunt, id quod Xenocratem, Duridem, Adaeum, Antigonum, Polemonem, Jubam fecisse constat; tertium eorum, qui nobilissima statuariorum, caelatorum, sculptorum, pictorum in Graecia et in insulis opera descripserunt, argumenta operum illustraverunt, ut Adaeus, Antigonus (cf. infra), Polemo, Pasiteles (cf. infra). Hos periegetarum nomine complectimur.

Jam sic propositis generibus scriptorum artium, ad singulos auctores transimus, et quidem ita, ut primum instituatur disputatio de iis ex illo numero,

qui Sicyonii fuerunt, de Xenocrate et Menaechmo. Qua in disputatione multa explicanda et explananda erunt, quae ad artium historiam pertinent. Nam nobis quidem id potissimum quaerere visum est, ex cujus scholae disciplina et doctrina (sunt enim scholae et sectae artificum, ut philosophorum) fluxissent illa de summis artificibus judicia, quae non apud unum Plinium inveniuntur, sed ab aetate eorum, qui Alexandri regnum inter sese partiti sunt, in vulgus probata fuisse videntur. Primum igitur de pictorum et statuariorum scholis, quae Sicyone floruerunt, dicendum.

Sicyone picturam linearem inventam esse nonnulli crediderunt (cf. Plin. l. XXXV § 15). Hoc igitur certe veri simillimum est, eam jam inde ab antiquissimis temporibus Sicyone floruisse: id quod et ipse Plinius testatur (l. XXXV § 16). Et haec quidem nimis antiqua jam mittimus. Sed multis saeculis post, circa ol. XCV Sicyone floruit Eupompus, cujus gloria tanta fuit, ut propter hunc tertium genus picturae, Sicyonium additum sit Jonico et Attico (Plin. XXXV § 75). Ab hoc est profecta clarissima illa pictorum secta, cujus post Eupompum princeps videtur fuisse Pamphilus (Plin. XXXV § 76 § 77), qui primus in pictura omnibus literis fuit eruditus, praecipue arithmetica et geometria. Pamphili discipuli fuerunt Pausias et Melanthius Sicyonii, Apelles Cous (Plin. XXXV § 143; Plut. Arat. c. 13). Melanthius et Apelles de pictura scripserunt (Plin. XXXV § 79; Diog. Laert. l. IV, 18). Haec igitur ars Sicyone

ab antiquissimis temporibus floruit, Sicyone a praestantissimis pictoribus, multorum quidem judicio, perfecta est. Quin etiam in hac urbe institutum est, ut pueri ingenui omnia ante graphicen, id est picturam in buxo, docerentur, reciperetur que ea ars in primum gradum liberalium (Plin. XXXV § 77). Summa igitur picturae claritate Sicyon floruit: eadem non minore artis statuariae gloria. Namque Eupompi, Pamphili, Apellis aequalis fuit Lysippus Sicyonius, quum jam CL annis ante floruisset Canachus Sicyonius, Phidiae autem aetate Polycletus et ipse Sicyone natus, qui primus omnium et opere et literis expressit et illustravit commensus et symmetriae rationem. Cujus symmetriae leges quum usque ad Praxitelis et Lysippi aetatem paene omnibus probarentur (Plin. XXXIV § 55; Galen. περὶ τῶν κ. Ἱππ. κ. Πλ. V, 3), imprimis a Sicyoniis statuariis non neglectas esse veri simillimum est [3]).

Primum igitur Sicyone ratio quaedam et disciplina artis statuariae (item, nisi fallor, picturae cf. inf. mat. cap.) inventa et tradi coepta est.

Hujus autem symmetriae caput fuit, ut id, quod natura in pulcherrimorum corporum mensuris observasse videbatur, ars sequeretur imitatione diligentissima (cf. Plin. XXXIV § 56, § 65; Brunn. hist. artiff. t. I p. 373 sqq.).

---

3) Cf. quae de hac re Brunnius disputat in hist. artiff. vol. I. p. 218. cf. Plin. XXXIV § 55; Galen. l. c. l. l.

Hanc symmetriam non mutavit, sed paene evertit Lysippus, *nova intactaque ratione*, ut ait Varro apud Plinium (XXXIV § 65), *quadratas veterum staturas permutando, capita minora faciendo, quam antiqui, corpora graciliora sicciaraque, per quae proceritas corporum major videretur.* Hujus autem rationis summam ipse Lysippus verbis exprimebat, quum dicebat, a ceteris factos esse homines, quales essent, a se, quales viderentur esse. (Plin. XXXIV § 65). Lysippus igitur id, quod picturae proprium est, ad artem statuariam transtulit. Nam homines facere non quales sint, sed quales videantur esse, pictoris est.

Minime autem mirum est, eum, qui primus ante statuaria praestare conatus est id, quod picturae proprium est, Sicyonium fuisse. Sicyone enim picturam semper maxime floruisse modo demonstravimus. Quamquam hic non omittendum est, Euphranorem pictorem et eundem statuarium, qui floruit, quum Lysippus suae arti operam dare inciperet, symmetriam, quam in pictura non solum adhibuit, sed etiam literis docuit, in statuaria quoque arte non neglexisse videri (cf. Brunn. hist. artiff. I. p. 317). Sed quum *in universitate corporum exilior fuerit, in capitibus articulisque grandior* (Plin. XXXV § 129), illam symmetriae absolutae et perfectae laudem Lysippo vindicare non dubitabimus. Quamquam haud scio, an id ipsum, quo Lysippus plurimum arti contulisse vulgo judicatus est, severius judicantibus non omnino probandum possit videri. Sed cetera omnia

fuerunt egregia et magnifica in hoc artifice, et id ipsum, quod minus probamus, ex ipso temporum illorum, ut ita dicam, ingenio videtur profectum esse: ita ut minime mirum sit, eos, qui apud Graecos (quos deinde secuti sunt Romani) de arte statuaria scripserunt, plerosque a Lysippo hanc artem perfectam esse judicasse. Ita factum est, ut de artificibus, qui ante Lysippum floruerunt, ita judicaretur, ut, quo quisque propius et aetate et artis genere ab Lysippo abfuisset, eo praestantior haberetur[4]).

Jam vero quum eorum, qui post Lysippum de arte statuaria scripserunt, antiquissimi fuerint Xenocrates et Menaechmus statuarii, qui Pyrrhi aetate Sicyone floruerunt, vel ab his ambobus, vel ab horum altero utro illa de summis artificibus judicia profecta esse mox demonstrabimus. Sed ante omnia de Xenocratis aetate, vita, scriptis dicendum est.

Xenocratis igitur duobus locis Plinius mentionem facit, ex quibus alter est in libro XXXIV (§ 83), ubi, *Xenocrates*, ait, *Tisicratis discipulus*, *ut*

---

4) Similiter eosdem de pictura judicasse, ut ad perfectam, quam putabant, Apellis artem omnia referrent, infra demonstrabitur. Neque tamen defuerunt Graeci auctores, qui veteribus illis, imprimis Phidiae et Polygnoto absolutae artis laudem tribuerent. Quo in numero primus nominandus est maximus Aristoteles (cf. de arte poet. c. 6; Brunn. hist. artiff. II p. 40—46; Jahn l. c. p. 114—118), non silentio praetereundi sunt Pasiteles (cf. infra) et Dionysius Halicarnassensis (de Isocr. p. 95 ed. Sylb.)

alii, Euthycratis, *vicit utrosque copia signorum et scripsit de sua arte*; alter in libro XXXV (§ 67 § 68), ubi haec sunt: *Parrhasius* — *et ipse multum picturae contulit*, — *confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Haec est picturae summa subtilitas* etc. *Hanc ei gloriam concesserunt Antigonus et Xenocrates, qui de pictura scripserunt, praedicantes quoque, non solum confitentes* et alia. Quin autem ambobus his locis idem Xenocrates intelligendus sit, non est cur dubitemus (item Antigonum de utraque arte scripsisse infra videbimus (cf. c. extr.). Certe Diogenes Laertius (l. IV segm. 15) non novit Xenocratem, qui de pictura scripserit, ab statuario diversum.

Floruit igitur Xenocrates circa ol. CXXVI, siquidem et Euthycrates et Tisicrates circa ol. CXXI floruerunt (Plin. XXXIV § 51 § 67). Maxime vero dolendum est quod, utrum Euthycratis an Tisicratis Xenocrates fuerit discipulus, non constat. Quum enim Euthycrates, *qui constantiam potius*, ut ait Plinius, *quam elegantiam patris* (Lysippi) *imitatus est, et maluit austero genere, quam jucundo placere*, videatur in symmetria Polycletum potius, quam Lysippum secutus esse (Brunn. hist. artiff. I p. 410), Tisicratem Lysippi sectae propiorem fuisse constet (Plin. XXXIV § 66 § 67); si sciremus, utrius discipulus Xenocrates fuisset, aliquantum sane ad quaestionem hanc explanandam lucraremur. Nam hoc potissimum sciri interest, quid Xenocrates statutum habuerit, ex quo, quid quisque artifex ad artem per-

ficiendam attulisset, judicaret. Jam vero, quum in ipso non addatur, antiquioribus eum propiorem fuisse, ex ipso hoc silentio recte et vere mihi videor colligere, eum non minus, quam ceteros ejus aetatis artifices, Lysippum imitatum esse et ab Lysippo artem statuariam perfectam judicasse. Quod igitur supra diximus eos, qui post Lysippum de arte statuaria scripsissent, plerosque ita judicasse, ut, quo quisque propior et aetate et artis genere Lysippo fuisset, eo praestantior haberetur, id etiam ad Xenocratem pertinet. Videtur autem Xenocrates severe judicare solitus esse. Id quod colligitur ex altero eorum locorum, quos supra exscripsimus (Plin. XXXV § 67, § 68). Quod enim illo loco est, *confessione artificum* et paulo infra, *hanc ei gloriam concessere Antigonus et Xenocrates, praedicantes quoque non solum confitentes et alia*, satis declarat, Xenocratem (de Antigono enim mox dicendum erit) in libris, quibus de artificibus judicabat, quasi severi judicis partes egere solitum fuisse.

Jam ut id quoque hic non silentio praetereatur, ex quo apparet, quae Xenocratis apud eos, qui post eum de artibus scripserunt, auctoritas fuerit, ex eo loco, quem modo attulimus, sequitur, ut Antigonus in libris de pictura quasi vestigia hujus persecutus esse videatur. Quum igitur et Xenocrates et Antigonus etiam de arte statuaria scripserint, haud scio, an veri simillimum sit, Antigonum in his quoque libris Xenocratis auctoritatem non neglexisse. Quodsi haec recte a nobis disputata sunt, Xenocrates Si-

[illegible] merito auctor illorum de Phidia, Polycleto, aliis luminibus artis statuariae judiciorum habebitur, quae Plinius apud Varronem invenit (cf. c. 2).

Ut vero Xenocratem potius, quam Menaechmum principem illorum judiciorum auctorem fuisse putemus, id nos adducit, quod judicia de summis pictoribus simillima illis, omnia Xenocratis esse demonstrabimus.

Hic enim videtur non alienum a proposito, antequam ad Menaechmum transeamus, de iis libri XXXV locis, quibus demonstratur, per quos artifices et quibus inventis pictura ab exiguis initiis ad summam perfectionem pervenerit, quaestionem instituere, ut, cuinam auctori vindicandi sint, statuatur. Loci igitur, qui versabuntur in disputatione, hi sunt:

XXXV § 15: *Inventam* (dicunt) *linearem* (picturam) *a Philocle Aegyptio vel Cleanthe Corinthio.* (§ 16) *Primi exercuere Aridices Corinthius et Telephanes Sicyonius, sine ullo etiamnum hi colore, jam tamen spargentes lineas intus* etc. — *Primus invenit eas colore testae, ut ferunt, trito Ecphantus Corinthius.*

§ 56. *Apparet multo vetustiora principia eis que, qui monochromata pinxerint, quorum aetas non traditur, aliquanto ante fuisse, Hygiaenontem, Dinian, Charmadan et qui primus in pictura marem a femina discreverit, Eumarum Atheniensem, figuras omnes imitari ausum, quique inventa ejus excoluerit, Cimonem Cleonaeum. Hic catagrapha invenit, hoc est obliquas imagines, et varie formare voltus, respicien-*

tes suspicientes vel despicientes, articulis membra distinxit, venas protulit praeterque in veste rugas et sinus invenit.

§ 58. *Polygnotus Thasius — primus mulieres tralucida veste pinxit, capita earum mitris versicoloribus operuit plurimumque picturae primus contulit: siquidem instituit os adaperire, dentes ostendere, vultum ab antiquo rigore variare.* (Cf. Brunn. hist. pict. p. 26 sqq.).

§ 60. *Apollodorus — primus species exprimere instituit primusque gloriam penicillo jure contulit.* (Brunn. l. c. p. 59 sqq. p. 71 sqq.).

§ 64. *Zeuxis — reprehenditur ceu grandior in capitibus articulisque* etc.

§ 67. *Parrhasius — et ipse multa contulit: primus symmetriam picturae dedit, primus argutias vultus, elegantiam capilli, venustatem oris, confessione artificum in lineis extremis palmam adeptus. Haec est picturae summa subtilitas* etc. — *Hanc ei gloriam concessere Antigonus et Xenocrates, qui de pictura scripsere, praedicantes quoque, non solum confitentes et alia [Multa graphidis vestigia exstant in tabulis ac membranis ejus, ex quibus proficere dicuntur artifices.] Minor tamen videtur sibi comparatus in mediis corporibus exprimendis.*

§ 76. *Pamphilus — primus in pictura omnibus literis eruditus (fuit), praecipue arithmetica et geometria.*

§ 79. *Omnes prius genitos futurosque postea superavit Apelles Cous. ol. CXII: picturae plura*

solus prope, quam ceteri omnes, contulit. — Praecipua ejus in arte venustas fuit.

§ 98. *Aristides Thebanus — omnium primus animum pinxit et sensus hominis expressit, quae vocant Graeci ethe, item perturbationes (?), durior paulo in coloribus.*

§ 116. *[Ludius divi Augusti aetate — primus instituit amoenissimam parietum picturam.]*

§ 123. *Pamphilus — non pinxisse solum encausta, sed etiam docuisse traditur Pausiam Sicyonium primum in hoc genere nobilem.*

§ 128. *Post eum* (Pausiam) *emicuit longe ante omnes Euphranor. Hic primus videtur expressisse dignitates heroum et usurpasse symmetriam; sed fuit in universitate corporum exilior et in capitibus articulisque grandior.*

De his locis, quos exscripsimus, O. Jahnius (l. c. p. 136 seq.) ita disputat, ut propter mentionem Ludii, qui Augusti aequalis fuerit, haec, quod inter se cohaereant, omnia Jubae, qui et ipse Augusti aetate floruerit, vindicet. Quae sententia viri summi tam infirmo argumento videtur niti, ut facillime labefactari atque everti possit. Nam quum de Ludio non suo loco exponi manifestum sit (debuit enim Ludii non ante mentio fieri, quam de Pamphilo, de Pausia, de Euphranore dictum esset), apparet, Plinium, quae de Ludio tradit, aliunde atque reliqua, quorum ordinem interrumpunt, sumpsisse. Ut igitur illa de Ludio, quae neque cum praecedentibus neque cum sequentibus cohaerent,

Jubae sint, de ceteris locis nihil inde sequitur. Porro quod Jahnius addit, manifestum esse, per totam hanc libri XXXV partem ad picturae in Italia primordia et incrementa respici, ne hoc quidem ad illam sententiam firmandam pertinet. Nam ea, quae ab Jahnio hic significari credideris, omnia aut ipsius Plinii sunt (§ 17. — *Extat certe hodieque* etc. — *quibus equidem nullas aeque miror* § 18, § 19 *ad nostram memoriam* § 20) aut certe cum iis locis, quos unius scriptoris esse demonstrabimus, neque cohaerent neque cohaeserunt apud auctorem (§ 116 § 119 etc.). Ita ut ne hoc quidem satis constet, utrum omnino sint in hac libri XXXV parte, quae Jubae debeantur, an non sint.

Nunc, postquam illam Jahnii sententiam redarguimus, alium ejusdem errorem non omittemus. Jahnius enim ea, quae de Parrhasio traduntur et disputantur duabus paragraphis (§ 67 § 68), ita quasi divellit, ut nihil, nisi paragraphi LXVII dimidiam partem exscribat (*Parrhasius — confessione artificum in extremis lineis palmam adeptus*). Sed illa omnia cohaerere, quum alia, tum illud *haec est picturae summa nobilitas*, cui respondet, *hanc ei gloriam concessere* etc., satis declarat. Addenda sunt etiam ea, quae sequuntur apud Plinium, *minor tamen videtur sibi comparatus in mediis corporibus exprimendis*: haec enim manifestum est respondere illi, *in extremis lineis palmam adeptus*. Ea igitur omnia, quae de Parrhasio duabus paragraphis traduntur et judicantur, Xenocratis

sunt, quem Antigonus secutus est (cf. p. 18). Jam reliquum est, ut ceteros quoque locos, quibus judicatur de pictoribus, cum hoc cohaesisse apud auctorem demonstremus.

Primum igitur disputabimus de tribus locis, quos subjicere visum est:

§ 64. *Zeuxis reprehenditur ceu grandior in capitibus articulisque.*

§ 67. *Parrhasius — primus symmetriam picturae dedit* etc. — § 68 (cf. supra).

§ 128. *Euphranor — primus videtur usurpasse symmetriam, sed fuit in universitate corporum exilior et capitibus articulisque grandior.*

Quae his tribus locis de Zeuxide, de Parrhasio, de Euphranore traduntur, si quis rem non satis perspiciat, possint inter se pugnare videri. Nam paragrapho LXVII docet Plinius, Parrhasium primum symmetriam picturae dedisse, infra vero (§ 128), Euphranorem videri primum usurpasse symmetriam. Sed non est, cur dubitemus, quin Parrhasius illam, de qua supra (p. 11) diximus, Polycleti symmetriam non quidem primus adhibuerit in pictura, sed perfecerit [5]), Euphranor novam symmetriam mox in arte statuaria ab Lysippo, in ipsa pictura a Pamphilo [6])

5) Vocem primus apud Plinium non ita premendam esse, recte monet Brunnius in Hist. pict. p. 103.

6) Brunnius (hist. art. II. p. 136 sqq.) Pamphilum cum Polycleto confert: id quod ita modo non falsum est, si id spectatur, quod uterque rationem artis suae geometriae legibus fir-

et Apelle perfectam inchoaverit (cf. p. 14. p. 15. Jahn. l. c. p. 130; Brunn. hist. artiff. I, p. 219, p. 374 sqq.). Id quod nos ita contendimus, ut non negemus, omnino multum interesse inter symmetriam — non dico commensum — picturae et artis statuariae, sed tamen apte inter se comparari possunt. Quid vero, quod idem in Zeuxide et in Euphranore vituperatur? Zeuxis membris plus corporis, ut ait Quinctilianus (inst. orat. l. XII. c. 10 § 5), dedit, id amplius atque augustius ratus (cf. Brunn. hist. art. II. p. 92). Videtur igitur ne Parrhasii quidem illam Polycletianam — ut ita dicam — symmetriam prorsus assecutus esse. Euphranor contra corpora fecit *graciliora siccioraque*, ut de Lysippo scribit Varro apud Plinium (l. XXXIV. § 65), quum tamen robur et vim heroum, quae colore expri-

mavit. Quod vero ad ipsam symmetriam attinet, Pamphilus Lysippo propior fuit, quam Polycleto. Nam quum, commensus Polycletianis illis similes jam Parrhasius in pictura perfecerit, symmetriam (i. e. Lysippiam illam) Euphranor primus usurpasse dicatur, hanc quidem a Pamphilo non solum in picturis adhibitam, sed etiam ratione et disciplina, quae sine arithmetica et geometria constare non poterant, firmatam et illustratam esse putamus. Ab his duobus et usu et ratione jam excultam symmetriam Apellem accepisse et ad summam perfectionem adduxisse. Quamquam hoc a Plinio, qui paucis modo verbis significat, Apellem plus quam ceteros omnes arti contulisse et praecipue venustate excelluisse, non docetur disertis verbis. Sed id ipsum, quod, quum etiam in Euphranore symmetriae perfectio requiratur, in hoc nihil desideratur, declarat, auctores, quos Plinius hic sequitur, ut Lysippum perfectum statuarium, ita Apellem perfectum et omnibus numeris absolutum pictorem judicasse. Sed in his rebus explicandis ne versari pergam, id, quod propositum habeo, dehortatur.

mebat (cf. Brunn. hist. artiff. II p. 187; Plin. XXXV §129), etiam artuum formis exprimere vellet, articulos et capita non eadem ratione permutavit, ita ut, quum non majora essent, quam solent esse in hominibus, viderentur tamen grandiora esse propter corporum proceritatem.

Haec vero omnia eo consilio disputavimus, ut intelligeretur, illorum trium locorum eam esse rationem, ut non modo non pugnarent inter se, sed etiam se quasi illustrarent mutuo, ita ut appareret, omnes ex eodem fonte fluxisse. Sequitur igitur, ut Xenocratis et Antigoni sint. Horum enim illud de Parrhasio judicium esse supra (p. 21) demonstratum est. Porro quum de Euphranore ita judicetur, ut manifestum sit, respici ad judicium de Apelle, qui picturam perfecisse videatur (cf. p. 24, not. 6), etiam haec: *Apelles plura solus prope quam ceteri omnes contulit. Praecipua ejus in arte venustas fuit*, quae a Plinio in brevius videntur coacta esse, Xenocrati et Antigono vindicanda sunt.

Jam vero quae de reliquis pictoribus traduntur iis locis, quos exscripsimus, ex eodem fonte fluxisse tam manifestum est, ut demonstrari non opus sit. Apparet enim, his omnibus collatis et conjunctis effici adumbratam quandam picturae historiam, in qua singula inter se non solum apte, sed etiam necessario cohaereant.

Omnibus igitur libri XXXV locis, quibus de claris pictoribus Graecis judicatur, videt

tur Plinius Xenocratem et Antigonum secutus esse.

Sed haec hactenus. Jam ad *Menaechmum* transimus.

Plinius in libro XXXIV (§ 80), *Menaechmi*, ait *vitulus genu premitur replicata cervice: ipse Menaechmus scripsit de sua arte* (cf. p. 10). Nihil igitur de patria, nihil de aetate Menaechmi a Plinio docemur, ita ut in hac quaestione plurima videantur conjectura esse statuenda. Primum igitur, quum ante Lysippi aetatem omnino non videantur fuisse, qui de statuariorum aetatibus, vitis, successionibus quaererent, etiam Menaechmum Lysippo non antiquiorem fuisse probabiliter affirmarim. Porro satis est verisimile, Menaechmum non post Eutychidis aetatem fuisse, id est post ol. CXXI aut CXXII: nam inter eos artifices, inter quos Menaechmi mentio fit apud Plinium (§ 72—83), vix unus est, qui post ol. CXXI floruisse videatur. Ergo et ipse Menaechmus circa Xenocratis aetatem fuisse censendus est. Porro eum Sicyone vixisse certe dissimile non est veri: siquidem tunc Sicyone potissimum fuerunt, qui de ratione artis statuariae quaererent omnemque ejus disciplinam illustrarent (cf. p. 14, 15)[7]. Jam vero, quum sciamus, Xenocratis aetate (cf. Voss. de hist. Graec. p. 65. p. 66; Suid. s. v. Μάναιχμος) floruisse Menaech-

7) His, quae supra demonstravimus, consentaneam Welckeri sententiam (in Pauli encycl.), qui putat, veterem illum Naupactinum Menaechmum (Paus. l. VII, 18, 6.), qui floruit circa ol. LXX, esse intelligendum, satis liquet refutatam.

mum quendam Sicyonium, historicum et polyhistorem, sequitur, ut noster Menaechmus Sicyonius ille Xenocratis aequalis videatur esse 8). Scripseritne autem Menaechmus de arte statuaria ante, quam Xenocrates libros suos ederet, minime constat. Reliquum est, ut moneamus, ne quis putet, eum Menaechmi librum, qui inscribebatur, περὶ τεχνιτῶν, de pictoribus et statuariis fuisse. Quae enim apud Athenaeum inveniuntur ex illis libris sumpta (l. II, p. 65 a; XIV, p. 635, b; 637, f; 638, a), ea sunt, ex quibus jure colligere mihi videar, Menaechmum illo libro de rhapsodis et poetis egisse.

Venimus nunc ad Duridem, qui et ipse de arte statuaria scripsit (cf. p. 10).

Duris laudatur a Plinio in artium, ut ita dicam, historia uno loco (l. XXXIV § 61), de quo supra diximus (p. 10). Sed jam, quis fuerit Duris, videtur quaerendum esse. Saepissime laudatur a veteribus Duris Samius, Ptolemaei Lagi filii aequalis, historicus 9). Hunc Duridem, quem scimus scripsisse, [illegible]

8) C. Müllerus (Fragm. hist. Graec. t. II, p. 103) Suidae, qui Menaechmum diadochorum aetate floruisse docet, credendum negat. Quum enim Aristoteles suis de Olympico certamine libris Menaechmum, quem scimus *Πυθικόν* scripsisse (fragm. hist. Alex. p. 146) superasse dicatur, sequi, ut Menaechmus jam Alexandri magni aetate floruisse putandus sit. Nobis tamen, dummodo ne premamus verbum florendi, videtur utrumque posse verum esse, ut libros edidisse putetur Menaechmus jam aliquot annos ante Aristotelis mortem, vixisse et scripsisse etiam Ptolemaeo, Seleuco, Antigono, Lysimacho regnantibus et quidem per non breve tempus.

9) De Duride multa invenies apud Vossium in libro [illegible]

περὶ Ἀγαθοκλέα, ἱστορίας, Μακεδονικά, Σαμίων ὧροι, περὶ νόμων, περὶ ἀγώνων, περὶ Εὐριπίδου καὶ Σοφοκλέους (cf. C. Müller fragm. hist. Graec. vol. II, p. 466 sqq.) ipse Plinius laudat tribus certe locis (l. VII § 30, VIII § 143, XXXVI § 78). Jam vero, quum a nullo traditum sit, Duridem Samium de arte statuaria scripsisse, ad quaestionem ejus, in qua modo versati sumus, similem iterum descendere cogimur. Primus, quod sciam, omnium Vossius (de hist. Graec. p. 96; Westermanni, qui assentitur, editionis p. 134) negavit, eum Duridem, qui a Plinio laudaretur in libro XXXIV, Samium illum videri esse, sed alium quendam, qui teste Diogene Laertio etiam de pictura scripsisset. Hunc non absurde existimari eum esse, qui ad commendationem suae artis prodidisset, Socratem quoque ἐξεργάσασθαι λίθους, teste Laertio in Socrate. Et apud Laertium quidem haec sunt (l. II segm. 19): Δοῦρις δὲ καὶ δουλεῦσαι (λέγει) αὐτὸν καὶ ἐργάσασθαι λίθους, quae non magis ad sculpturae, quam ad servitutis commendationem pertinere manifestum est. (Ceterum de hoc loco conferas etiam Eckertzii dissert. p. 3.) Illud vero omnes Vossio concedent, eundem Duridem et de arte statuaria et de

hist. Graec. p. 96—98 (ed. Westerm. p. 132 sqq.), item apud Schweighäuserum ad Athen. t. XIV, p. 39, p. 40. Plura etiam sunt apud C. Müllerum in fragmentis historicorum Graecorum (vol. II p. 466—488). Duridis quae supersunt collegit et illustravit Hullemanus libro anno MDCCCXLII edito. De Duridis fide scripsit Eckertzius, cujus dissertatio Bonnae edita est eodem, quo ille Hullemani liber, anno.

pictura scripsisse videri. Quo tamen facilius hanc quaestionem explicemus, proficiscendum videtur a duobus apud Laertium locis, quorum uterque est in Thalete, alter in sectione XXII, ubi haec sunt: Ἦν τοίνυν ὁ Θαλῆς (ὡς μὲν Ἡρόδοτος, Δοῦρις καὶ Δημόκριτός φασιν) πατρὸς etc. Et hic quidem Samium illum significari manifestum est. Altero autem loco (segm. 38) Diogenes, Τέταρτος, ait, (Θαλῆς), οὗ μέμνηται Δοῦρις ἐν τῷ περὶ ζωγραφίας. Quos locos non longe alterum ab altero distantes si quis inter se comparet, haud scio, an alterum utrum necesse sit, aut unum eundemque Duridem intelligi, aut maximae negligentiae Diogenem insimulari. Atqui video in Thalete quidem in nominibus auctorum ambiguis fere omnibus addi aliquid, unde, quis intelligendus sit, appareat. Exempla subjicimus haec: (segm. 24) Κοίριλος ὁ ποιητής, (25) Ἀπολλόδωρος ὁ λογιστικός, (26) ὁ Ῥόδιος Ἱερώνυμος, (28) παρὰ Λεανδρίου τοῦ Μιλησίου, (30) Δαΐμαχος ὁ Πλατωνικός, (34) Δημήτριος ὁ Μάγνης, (40) Δάμων ὁ Κυρηναῖος γεγραφὼς περὶ τῶν φιλοσόφων, Ἀρχέτιμος ὁ Συρακούσιος. Nos igitur ex duobus illis locis vere nobis videmus colligere, Duridem Samium, quem polyhistorem fuisse constat (cf. Eckertz. l. c. p. 7), etiam de pictura scripsisse. Quod qui concedet, quin idem etiam de arte statuaria scripserit, non dubitabit.

Nunc quae de hoc verissima invenerimus, proponemus.

Duris Samius natus sit necesse est circa ol. CX, siquidem ol. CXIV Olympiae vicit in certamine puero-

rum (Paus. VI, 13, 8; cf. Müller l. c.). Quando decesserit, non satis constat. Certe non ante ol. CXXIV videtur obiisse: scripsit enim de rebus gestis Agathoclis, qui mortuus est ol. CXXIV (cf. Müller l. c. p. 469). Videtur igitur Duris aetate anteivisse Xenocratem et Menaechmum (cf. p. 17 et p. 26)[10].

De fide Duridis verissime judicavit Eckertzius (l. c.), cui C. Müllerus assentitur. Illius autem judicii summa haec est: Duris fuit auctor levis, fabellarum auceps, malitiosus, minime probus denique historicus. Id quod illi sat multis exemplis demonstrant. Nobis contra liceat paucis defungi. Tradidit igitur Duris, Aspasiam duo bella (Samium et Peloponnesiacum) conflasse (Harpocr. s. v. Ἀσπασία); Demetrium Phalereum foede calumniatus est (Ath. l. XII p. 542 B—E), item Periclem, teste Plutarcho (Pericl. c. 28), qui haec addit: Δοῦρις μὲν οὖν οὐδ' ὅπου μηδὲν αὐτῷ πρόσεστιν ἴδιον πάθος εἰωθὼς κρατεῖν τὴν διήγησιν ἐπὶ τῆς ἀληθείας, μᾶλλον ἔοικεν ἐνταῦθα δεινῶσαι τὰς τῆς πατρίδος συμφορὰς ἐπὶ διαβολῇ τῶν Ἀθηναίων. Jam haec, quae attulimus, videntur ea esse, ex quibus intelligatur, Duridi fidem et auctoritatem derogandas esse. Sequitur, ut quae Plinius ex hujus libris sumpsit, non temere credenda sint.

Recentior iis, de quibus hactenus diximus, fuit **Antigonus**, quem de arte statuaria scripsisse supra

10) Est apud Bekkerum in anecd. Graecis (p. 451, 31) locus, ubi Aristoteles Duridem laudasse dicitur. Sed ibi aut de recentiore aliquo Aristotele cogitandum esse, aut Duridis nomen [illegible] (cf. Müller [illegible]).

demonstravimus (p. 10). Idem libellum de pictura scripsit (p. 17). Quid enim est, cur non idem fuisse putetur? Jam primum videtur quaerendum de Antigoni aetate, de qua multi minus probabiliter disputaverunt. Et Harduinus quidem, qui nostrum Antigonum cum Carystio confudit, jam ab Heynio notatus est (Antiquar. Aufs. II no. 2); qui tamen ipse non diligentius de Antigono quaerit. Magis etiam miramur Silligium, qui in catalogo artificum (s. v. *Antigonus*): *Attalus*, ait, *primus hujus nominis rex Pergami*, *Gallos* ol. CXXXV, 2 (239 a. Chr. n.) *devicit*, *qua igitur aetate artifices illi floruerunt*. Quid igitur de Eumene fiat? Sunt enim apud Plinium eo loco, a quo Silligius proficiscitur (XXXIV §. 84), haec: *Plures artifices fecere Attali et Eumenis adversus Gallos proelia*, *Isigonus*, *Pyromachus*, *Stratonicus*, *Antigonus*, *qui volumina condidit de sua arte*. Apparet igitur, quam necesse sit, Eumenem aut post Attalum aut ante Attalum regnasse, illos artifices non omnes uno tempore floruisse. Ex hoc quidem non fugit Brunnium (hist. artif. I p. 442), qui tamen in alium errorem incidit, priorem Eumenem intelligendum videri ideo, quod Attalus, cui alter Eumenes successerit, Gallorum opes prorsus fregerit. Id quod aperte falsum est. Cui enim non auditum est bellum gravissimum, quod alter Eumenes ol. CLIII cum Gallis gessit? Qui, quum primo illius olympiadis anno a Gallis regno esset expulsus, duobus annis post eos prorsus devicit et fregit. (Cf. quae vir doctissimus, Urlichsius contra Brunnium disputat in Jahnii annalium tomo LXIII p. 366;

ubi idem Niebuhrio [Kl. Schrift. I p. 287] et Clintonio [Fast. Hell. III p. 413] laudatis docet, Attalum Gallos non ol. CXXXV, 2, sed ol. CXXXVIII, 4 (229 a. Ch. n.) vicisse). Jam si ex eo ordine, quo Plinius illos artifices nominat, de aetatibus aliquid colligi licet, effectum est, Antigonum circa ol. CLIII floruisse: qua aetate profecto nondum mortuus erat Polemo periegeta, quem contra Antigonum scripsisse scimus (cf. Ath. l. V, p. 210, a et l. IX, p. 388, b etc. cf. Schweigh. ad Athen. vol. XIV s. v. Πολέμων).

Jam sequitur, ut transeamus ad scripta Antigoni. Et de eo quidem libro, quo de arte statuaria egit, supra jam disputavimus (p. 18). Quod vero attinet ad libros de pictura editos (cf. p. 19), nondum omnia explicata sunt. Quum enim Diogenes Laertius (VII, segm. 188) videatur significare, Antigonum *de picturis* (περὶ πινάκων) scripsisse, Plinius eum *de pictura* volumina composuisse dicit (l. XXXV §68). Quamquam enim sunt exemplaria naturalis historiae, in quibus scriptum est *de picturis*, optimorum tamen codicum auctoritate illud *de pictura* satis firmatum est. Videtur igitur Antigonus scripsisse de pictura (περὶ γραφικῆς, περὶ ζωγραφίας), id est, historiam quandam picturae, quo ex libro illud de Parrhasio judicium (cf. p. 20) sumptum esse putamus, et de picturis, id est periegesin, qua picturas in Graeciae et Asiae urbibus describeret et illustraret. Id quod intelligitur ex illo loco apud Laertium, ubi haec sunt: Ὁ Χρύσιππος αἰσχρῶς τὰ περὶ τὴν Ἥραν καὶ τὸν Δία ἀναγράφει, λέγων κατὰ ἑξακοσίους στίχους, ἃ μηδεὶς

πορνικῶς μᾶλλον τὸ στόμα εἶναι ἄν; — ἔτι δὲ καὶ παρὰ τοῖς περὶ πινάκων γράψασι κατακεχωρισμένα (ἐστὶ ταῦτα). Μήτε γὰρ παρὰ Πολέμωνι, μήτε παρ' Ὑψικράτει ἀλλὰ μηδὲ παρ' Ἀντιγόνῳ ἔστιν. (Agitur de pictura nefandae obscoenitatis, quam Sami fuisse docet Origenes contra Cels. l. IV). Ex illo ἀλλὰ μηδὲ παρ' Ἀντιγόνῳ apparet, si Prellero credimus, *Antigonum vel plenissime suam materiam tractasse* (l. c. p 98). Probabilius tamen inde colligas, Antigonum etiam parum honesta nonnunquam tetigisse in suis libris.

Nunc venimus ad Heliodorum, de quo in ipsis naturalis historiae libris nihil invenitur; in auctorum indicibus haec: *Heliodoro, qui de Atheniensium anathematis* (scripsit) (l. XXXIII), *Heliodoro, qui Atheniensium anathemata* (l. XXXIV), *Heliodoro, qui ἀναθήματα Athenis scripsit* (l. XXXV). Eos libros, qui hic significantur, Vossius (de hist. Graec. 448 ed. Westerm.), quod laudetur ab Athenaeo (IX, p. 406, c) Heliodorus periegeta ἐν τρίτῳ περὶ ἀκροπόλεως, conjicit inscriptos fuisse: Περὶ τῶν ἀναθημάτων τῶν ἐν Ἀκροπόλει. Sic etiam Polemo libros ejusdem argumenti inscripsit (cf. Strab. IX, p. 240 ed. Tauchn.). Si jam quaerimus de hujus Heliodori aetate et vita, primum non videtur fuisse sculptor ille clarissimus, cujus Plinius bis mentionem facit (XXXIV § 91; XXXVI § 35). Nam quum Plinius consueverit non silentio praeterire, si quis artifex de sua arte scripsit (cf. XXXIV §§ 80, 83, 84; XXXV §§ 79, 129; XXXVI § 39), in hoc nihil addit. De aetate autem Heliodori hoc unum puto constare, eum non ante Antiochum Epiphanem flo-

ruisse. Nam Athenaeus (II, p. 45, e) scribit, Heliodorum tradidisse, Antiochum Epiphanem fontem Antiochiae vino miscuisse. (Laudatur Heliodorus etiam his locis: Ath. VI, p. 229, e; IX, 406, c; Harpocr. s. vv. Θετταλός, Νίκη, Πομπόλαια.)

Recentissimus inter auctores Graecos, quos Plinius secutus est, fuit Pasiteles, quem in auctorum indice libri XXXIII dicit scripsisse mirabilia opera (cf. auctt. cat. l. XXXIV—XXXVI, cf. XXXVI § 39). Quae in ipsa naturali historia de Pasitele inveniuntur, haec sunt:

l. XXXIII § 156: *Mox Cyzicenus Tauriscus, item Ariston et Eunicus Mitylenaei laudantur* (inter caelatores) *et circa Pompeji Magni aetatem Pasiteles* etc.

l. XXXVI §§ 39, 40: *Admiratur* (Thespiades) *et Pasiteles, qui quinque volumina scripsit nobilium operum in toto orbe. Natus hic in Graecia Italiae ora et civitate Romana donatus cum iis oppidis, Jovem fecit eboreum in Metelli aede, qua campus petitur. Accidit ei, quum in navalibus, ubi ferae Africanae erant, per caveam intuens leonem caelaret, ut ex alia cavea panthera erumperet non levi periculo diligentissimi artificis. Fecisse opera complura dicitur; quae fecerit nominatim non referuntur.*

l. XXXV § 156: *Laudat* (Varro) *et Pasitelen, qui plasticen matrem caelaturae et statuariae sculpturaeque dixit et, quum esset in omnibus his summus, nihil unquam fecit ante, quam finxit.*

l. XXXIII § 130. *Primus fecit Pasiteles* (specula argentea). *Magni Pompeji aetate.*

Praeterea sunt in libri XXXVI paragrapho XXXV in codice Bambergensi haec:

Intra Octaviae porticus in aede Junonis ipsam deam (fecit) *Dionysius, et Polycles aliam, Venerem eodem loco Philiscus, cetera signa Praxiteles.* Sed quamquam etiam Vossianus codex hoc *Praxiteles* exhibet, tamen praeferendum est, quod in exemplari Toletano et in aliis libris nonnullis invenitur, *Pasiteles:* id quod satis firmo argumento demonstrabimus. Alio enim loco (§ 23) Plinius, *Romae*, ait, *Praxitelis opera sunt Flora, Triptolemus, Ceres in hortis Servilianis, boni Eventus et bonae Fortunae simulacra in Capitolio, item Maenades et quas Thyiadas vocant et Caryatidas, et Sileni in Pollionis Asinii monumentis, et Apollo et Neptunus.* In Junonis igitur templo non fuerunt signa Praxitelis, nam illud in *Pollionis Asinii monumentis* et ad praecedentia et ad sequentia pertinet. In omnibus enim sculptorum operibus, quorum Plinius in hoc libro mentionem facit, quo loco sint, addit. Sequitur ergo, ut eo loco, de quo disputavimus, *Pasiteles* scribendum sit. Pasiteles igitur etiam anno DCCXXI a. U. c. Romae opera fecit; hoc enim anno porticus illa restituta est (cf. Dion. Cass. XLIX, 43). Jam vero, quum sciamus, Pasitelem anno DCLXVIII cum magnae Graeciae urbibus civitate Romana donatum esse, floruisse circa Pompeji aetatem, etiam anno DCCXXI vixisse, sequitur, ut circa annum DCLIV natus esse videatur.

Quae praeterea de vita, arte, ingenio Pasitelis constant, exponuntur apud Plinium (l. l. c. c.), qui Varronem secutus est (cf. etiam Cic. de divin. I c. 36; Brunn. hist. artiff. I p. 596).

Reliquum est, ut de scriptis Pasitelis agamus. Videtur igitur illa periegesis, cujus Plinius mentionem facit, inscripta fuisse vel περὶ ἐνδόξων ἔργων vel περὶ θαυμασίων ἔργων (cf. Jahn. l. c. p. 124). Et hoc quidem tetigisse satis sit. Restant enim majora, quae explicemus. Nam quum supra (p. 16) demonstraverimus, quam Sicyonii illi perfectae artis quasi imaginem animo et cogitatione complexi esse et quae exempla sibi sumpsisse viderentur, ex quorum ratione de artificibus judicarent, nunc de Pasitele eadem quaestio instituenda est.

In libro XXXVI (§§. 18, 19) locus est, quem ex Pasitelis libris sumptum esse mox demonstrabimus (c. 5), ubi, quanto ingenio et quanta sollertia Phidias fuerit, luculentis exemplis ita docetur, ut appareat, Pasitelem sic judicasse, ut Phidiam longe praestantissimum omnium statuariorum et caelatorum (cf. p. 45) haberet. Veri igitur simillimum est, Pasitelem de universa arte statuaria alium in modum, quam Sicyonios illos et Pergamenos judicasse. Neque tamen nihil, nisi vetera illa laudasse, Lysippi sectae obtrectasse putandus est. Nam videtur in arte sua mediam quandam viam inter veterum gravitatem et recentiorum elegantiam tenuisse: qua, si sibi consentaneus esse voluit, etiam in libris illis debuit ingredi. Sed jam id, quod proposuimus, argumento firmare conabimur.

Est statua quaedam athletica Romae, in cujus basi inscriptum est:

ΣΤΕΦΑΝΟΣ ΠΑΣΙΤΕΛΟΥΣ

ΜΑΘΗΤΗΣ ΕΠΟΕΙ

De hoc opere Stephani, qui se Pasitelis discipulum esse scribit, luculenter disputat Brunnius (hist. artiff. t. I, p. 596), quem hic sequimur. Est igitur illius statuae is habitus, in quo quam maxime appareant et perspiciantur omnium membrorum commensus: pectus et latera robusta sunt et quadratis Polycleti signis propiora; capitis contra mensura minor est, quam et in hominibus solet esse et in signis Polycleti fuit, ita ut appareat, in parte figurae illam Lysippi symmetriam observatam esse. Videtur igitur Stephanus id habuisse propositum, ut et Polycletum et Lysippum imitatus, quae propria essent utriusque scholae, quasi conflaret. Quod si haec recte disputata sunt a Brunnio, veri valde simile est, Pasitelem quoque mediam, ut jam diximus, inter antiquiores artifices et recentiores viam ingressum esse. Verius igitur Pasiteles judicasse videtur de antiquioribus artificibus, quam reliqui artium scriptores, quos Plinius secutus est.

De Menandro, qui de toreutis scripsit (cat. auct. l. XXXIII), nihil invenimus.

Caput II.

Demonstratur, quibus auctoribus Plinius ea debere videatur, quae in sect. XIX libri XXXIV de arte statuaria tradit et disputat.

In quaestione, quos auctores Plinius in libro XXXIV, quatenus ad artium historiam pertinet, conscribendo secutus sit, excutienda ita versaturi sumus, ut primum de ea hujus libri parte disputemus, quae tota ad artificum vitas et opera illustranda pertinet, id est de sectione XIX, deinde, quae aliis locis de claris statuariis et de nobilibus signis referuntur, ea tertio hujus commentationis capite suis auctoribus vindicemus.

Sed jam ad ipsam rem videtur accedendum. In superiore libri XXXIV parte locus est (§ 7), ubi Plinius, postquam contra eos disputavit, qui gloriarentur, se habere signa Corinthia ab clarissimis artificibus facta, *Corinthus, ait, capta est olympiadis CLVIII anno tertio, nostrae urbis DCVIII, cum ante saecula fictores nobiles esse desissent, quorum isti omnia signa hodie Corinthia appellant; quapropter ad coarguendos eos ponemus artificum aetates.* Quod hic promittit, solvit infra eo loco, qui primus versatur in disputatione (§§. 49—52), ubi haec sunt:

Floruit (Phidias) *olympiade LXXXIII, circiter CCC nostrae urbis anno, quo eodem tempore aemuli ejus fuerunt Alcamenes, Critias, Nesiotes, Hegias et deinde olympiade LXXXVII Ageladas* etc. — *Ces-*

cessavit deinde ars ac rursus olympiade CLVI revixit, quum fuere longe quidem infra praedictos, probati tamen Antaeus, Callistratus, Polycles, Athenaeus, Callixenus, Pythocles, Pythias, Timocles.

Inter eos artifices, qui olympiade CLVI floruisse dicuntur, duo sunt, quos Romae opera fecisse constat, Polycles et Timocles (cf. Plin. XXXVI § 35; Brunn. hist. artiff. I p. 539). Apparet igitur Plinium in artificum aetatibus referendis secutum esse Romanum auctorem; nam Pasiteles, qui unus ex Graecis Plinii auctoribus in Italia floruit, non videtur talia in libris illis, de quibus supra (p. 34, p. 36) diximus, retulisse: scripsit enim periegesim. Cui autem Romano auctori Plinius haec debeat, non facile est ad demonstrandum. Et Heynius quidem (Antiquar. Aufs. II no. 2) Plinium apud Nepotem haec invenisse conjecit. Sed equidem non video, quonam libro Nepos artificum aetates tradidisse putandus sit. Nam neque in chronicis, *quibus ausus est*, ut Catullus ait, *omne aevum tribus explicare chartis*, ad tales quaestiones eum descendisse verisimile est, et ne in iis quidem libris, quibus virtutum et vitiorum luculentissima quaeque exempla tradidisse videtur, quique ab ea ipsa re *exemplorum libri* inscripti fuerunt, talibus rebus locum fuisse apertum est. Probabilius igitur conjiciemus, Varronem esse auctorem, quem hic Plinius sequatur (cf. p. 46. p. 47). Quo tamen in libro Varro artificum aetates tradiderit, demonstrare non possumus. Nam quum Brunnius (ap. Ritschl. in ind. schol. Bonn. aest. 1856—57 p. 12) illorum, qui in

paragrapho LII nominantur, septem artificum — nam illo Athenaeus Polyclis patriam significari — nominaesse hebdomadem ex Varronis imaginibus petitam conjecerit, quis credet, non omnia, quae illis quatuor paragraphis de statuariorum aetatibus traduntur, ex eodem fonte hausta esse? Jam vero, quum neminem fugiat, Varronem non ea omnia in illo opere persecutum esse posse videri, sequitur, ut ne illa quidem de septem artificibus inde petita sint. Est vero ne inter ceteros quidem Varronis libros, quorum inscriptiones nobis servatae sunt opera Hieronymi (cf. Ritschl. Rhein. Mus. N. F. VI p. 513 sqq.), ullus, ex quo haec possint sumpta videri. Sed multi Varronis libri etiam ab Hieronymo praetermittuntur (cf. Ritschl. l. c.), ita ut acquiescendum videatur in eo, quod probabili conjectura assecuti sumus, ut Varro de artificum aetatibus quaesivisse et exposuisse putetur. Quae conjectura ideo jure probabilis dici potest, quod alium Latinum Plinii auctorem non facile inveneris, qui illi quaestioni ad artium historiam pertinenti operam dedisse videatur.

Sequuntur jam haec apud Plinium: *Venere autem et in certamen laudatissimi* (statuarii), *quamquam diversis aetatibus* (?) *geniti, quoniam fecerant Amazonas; quas quum in templo Dianae Ephesiae dicarentur, placuit eligi probatissimam ipsorum artificum, qui praesentes erant, judicio, quum apparuit eam esse, quam omnes secundam a sua quisque judicassent. Haec est Polycleti, proxima ab ea Phidiae, tertia Cresilae, quarta Cydonis, quinta Phradmonis.* Hujus

fabulae auctorem si quaerimus (fabulam enim esse demonstravit Jahnius in: *Berichte d. Kgl. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch.* 1850 p. 37), Graecus videtur fuisse. Demonstrat enim Jahnius, Cydonis statuarii nomen, quum Cydo artifex nemini auditus sit, inde natum videri, quod Plinius apud auctorem in Cresila additam invenerit Κυδων, qua voce patria Cresilae, quem Cydonium fuisse constat, significaretur. Hoc igitur Κυδων, quo nonnunquam pro Κυδώνιος utebantur (cf. Jahn. l. c.), videtur Plinius, qui et in legendo excerpendoque et in scribendo nimis festinabat (cf. p. 6; p. 70), ita accepisse, ut statuarium significari putaret. Graecus igitur videtur auctor hujus fabulae fuisse: quis tamen fuerit, nescimus.

Jam quae sequuntur apud Plinium, imprimis digna sunt, de quibus diligentius disputetur. Nam quum hic multa de artificum clarissimorum operibus traduntur, tum, quid potissimum quisque arti statuariae contulerit, docetur. Et de his quidem locis primum dicere visum est. Jam vero, quum hic Jahnium secuturi simus ita, ut, quae vir egregius statuit, ea aut pluribus exponamus et demonstremus, aut refellere conemur, ante omnia eos locos, qui Jahnio inter se cohaesisse videntur, exscribere placet.

§ 54. *Phidias — primus artem toreuticen aperuisse atque demonstrasse merito judicatur.*

§ 56. *Polycletus — hic consummasse hanc scientiam judicatur et toreuticen sic erudisse, ut Phidias aperuisse. Proprium ejus est, uno crure ut insisterent*

rent signa, excogitasse; quadrata tamen esse ea ait Varro et paene ad exemplum.

§ 58. *Myron — primus hic multiplicasse veritatem videtur, numerosior in arte quam Polycletus et in symmetria diligentior, et ipse tamen corporum tenus curiosus animi sensus non expressisse, capillum quoque et pubem non emendatius fecisse, quam rudis antiquitas instituerat.*

§ 59. *Pythagoras — hic primus venas et nervos expressit capillumque diligentius.*

§ 65. *Lysippus — statuariae arti plurimum traditur contulisse capillum exprimendo, capita minora faciendo, quam antiqui, corpora graciliora sicciora-que, per quas proceritas signorum major videretur. Non habet Latinum nomen symmetria, quam diligentissime custodiit, nova intactaque ratione quadratas veterum staturas permutando, vulgoque dicebat, ab illis factos, quales essent homines, a se, quales viderentur esse. Propriae hujus videntur esse argutiae operum, custoditae in minimis quoque rebus.*

Haec igitur Jahnius affirmat ita exposita esse, ut appareat, omnia cohaesisse apud auctorem. Quum igitur unius ex his sententiis auctor Varro laudetur, consequens esse, ut etiam ceterae a Varrone profectae sint. Ad quam Jahnii sententiam probandam demonstrabimus, quae potissimum inter se respondere videantur.

Primum igitur manifestum est, quod Varro in Polyclito desiderat, cum dicat, quadrata ejus signa esse et paene ad exemplum, id laudari in Myrone.

qui primus veritatem multiplicaverit et in symmetria diligentior fuerit (cf. Brunn, hist. artif. I p. 151—152). Porro cum hoc judicio id, quod infra sequitur de Pythagora, cohaesisse, intelligitur ex illo, *primus venas nervosque expressit capillumque diligentius*, cui respondet hoc, *capillum quoque non emendatius fecisse* etc. In Lysippo denique manifestum est omnia laudari, quae in ceteris aut laudata aut desiderata sint (cf. quae de Lysippi symmetria supra disputavimus p. 15). Haec igitur a Plinio apud Varronem inventa esse et inter se conjuncta fuisse manifestum est.

Quid vero statuendum est de his locis?

§. 54. *Phidias — primus artem toreuticen aperuisse et demonstrasse merito judicatur.*

§ 56. *Polycletus — consummasse hanc scientiam judicatur et toreuticen sic erudisse ut Phidias aperuisse.*

Haec cum ceteris certe non necessario cohaeserunt, quamquam non dubitamus, quin et ipsa a Varrone tradita sint. Sed quum inter se certe responderint haec judicia, alterum mutilatum esse apparet. Quam enim scientiam consummavit Polycletus? Ne multa. Videntur apud Varronem haec fere fuisse: *Phidias scientia aeris fundendi primus inclaruit* (cf. Plin. XXXIV § 46) *primusque artem toreuticen aperuit et demonstravit. Polycletus illam scientiam* (aeris fundendi) *consummavit et toreuticen sic erudivit, ut Phidias aperuit.*

Toreutice, quam Phidias aperuisse judicatur, non ea est ars, qua in auri argentique laminis figuras

excuduntur, neque ideo ille ea laude afficitur, quod pisces (Mart. III. 35) et alia minuta opera fecerit 11).

11) Miramur, virum de historia satis eximie meritum Brunnium credere, Phidiam et Polycletum pateras caelasse et alia minuta opera fecisse (hist. artiff. I. p. 187) et eo nomine hic laudari. Nam neque loci, quos ad sententiam firmandam affert, quidquam valent, et ipse Plinius, ubi de maxime egregiis caelatoribus agit, neque Phidiae neque Polycleti, qui his, de quibus agimus, locis toreuticen aperuisse et consummasse dicuntur, mentionem facit. Et hoc quidem argumentum etiam solum, opinor, satis valebit ad Brunnii sententiam refutandam. Reliquum tamen est, ut demonstremus, ad eam probandam ne eos quidem locos, quos Brunnius affert, pertinere. Quorum locorum primus est in Juliani epistola VIII (p. 377, a. ed. Spanh.), ubi haec sunt: Φειδίας — καὶ μικρῷ γλύμματι μεγάλης τέχνης ἔργον ἐγκλείσας. οἷον δὴ τὸν τέττιγά φασιν αὐτοῦ, καὶ τὴν μέλιτταν, εἰ δὲ βούλει, καὶ τὴν μυῖαν εἶναι. Et hunc quidem locum Brunnius, nisi eum fugisset illud φασιν et εἰ δὲ βούλει, non, opinor, pro argumento attulisset. Quid enim argumenti est, Juliani aetate fuisse, qui talia aut mentirentur aut crederent? Qua aetate non solum vulgus, sed etiam viros doctos in talibus rebus facile errasse, ut uno exemplo defungamur, Ausonius documento est, qui (epigr. 12) Occasionis signum, quod Lysippi fuisse constat, Phidiae adscribit. Inter Martialis autem illos locos, qui tres sunt, unus modo est, qui possit cum exigua aliqua veri specie ad Brunnii sententiam firmandam adhiberi. Nam quod altero loco (IV, 39) dicit poeta, Charinum quendam solum habere veteres Myronis artes, solum Praxitelis et Scopae opera, solum Phidiaci toreuma caeli, quodque tertio (X, 87) jubet adulteram, quae virum vicerit, Restituto causidico veros sardonychas trahere, sed ipsum et senem veterum avarum [illegible] donare toreuma Phidiaci caeli, quis non concedet nobis, ex talibus jocis et facetiis et minime serio dictis non deberi ad illam Brunnii sententiam firmandam argumenta peti? Primo autem loco (III, 35) quod Martialis pisces caelatos dixit artis Phidiacae toreuma clarum, ne id quidem satis constat, utrum ipse poeta Phidiae esse opus crediderit, an id modo intelligi voluerit, perfectissimae artis opus esse. Sed ut concesserit Mar-

Significatur his voce *toreutice* aut ea ars, qua Jovis Olympii vestem, Minervae scutum et si qua praeterea in signis auro eboreque faciendis caelatoris (cf. O. Müller hist. art. ed. 3. § 113, n. 2; § 312, 2, n. 1.) artem desiderabant, caelavit, aut ea, quae versatur in statuis aere fusis lima emendandis: quae O. Jahnii sententia est (l. c. p. 129, n. 50). Neutra vocis *caelaturae* significatio exemplis firmari potest: proprio tamen vocabuli usui ea, quam priorem posuimus, propior est. Constat enim (cf. O. Müller l. c.), pleraque in signis auro et ebore factis non auro solido fusa fuisse, sed auri laminis excusa et caelata. Et ne quis miretur, Phidiam in arte statuas illis materiis faciendi a Polycleto superatum dici, idem affirmat Strabo (VIII p. 372), quum scribit, τὰ Πολυκλείτου ξόανα τῇ μὲν τέχνῃ κάλλιστα τῶν πάντων etc. Esse denique hujus artis mentionem hoc loco non alienam

---

diani, quis ignorat, quanta impudentia illius aetatis deteriores artifices opera sua clarissimo quoque nomine falso inscribere soliti sint? (cf. Phaedr. l. V. praef.; Friedländer., üb. d. Kunstsinn d. Roem. Königsbg. 1852 p. 35—37) quanta et quam vana tum jactatione multi gloriati sint, se Phidiae, Polycleti, Myronis opera possidere? (cf. Friedl. l. c.) quibus credere videri sane intererat Martialium et Statiorum. Verissime de ea re judicavit vir ingeniosissimus et acutissimus, quem nuper amisimus, Schneidewinus (de loco Horat. serm. II, 3, 18, p. 5), qui haec scribit: *Celeberrimorum nomina artificum confingere iisque insignire artes suas impune erat, Myos, Myronis, Mentoris, aliorum. Nam vel eorum abutebantur nominibus, quos in vasculis fundendis et caelandis elaborasse prorsus fidem excedit. Velut Myronem phialas confecisse uni Martiali credimus, si credimus: quid quod ipsos Phidias et Polycletos crepabant, incudem magnificat?!*

facile intelligitur: loquitur enim Plinius, Varronem secutus, non solum de aeneis Phidiae signis, sed etiam, si mihi liceat Graeco vocabulo uti, de chryselephantinis. Quamquam etiam Jahnii conjectura habet, quo non mediocriter commendetur. Est enim Plinius paulo negligentior in usu vocis toreutice, ita ut hoc vocabulo interdum etiam artem statuariam (cf. indices auctt. ll. XXXIII et XXXIV) et universam artem signa faciendi (l. XXXV § 77) significet. Quod vero nos magis etiam moveat ea conjectura, quam proposuimus, scriptum fuisse apud Varronem, Phidiam scientia aeris fundendi primum inclaruisse, si vera est, possit vocabulum postulare videri, quo etiam altera pars artis statuariae, — sive hanc usum intelligi volumus — significetur. Jam quum hoc modo demonstratum sit, utramque sententiam pariter veri videri similem, sequitur, ut judicium nobis cohibendum esse censeamus.

Jam revertimur ad institutam disputationem, qua demonstratum est, Plinium illa de clarissimis statuariis judicia apud Varronem invenisse. Neque tamen sequitur, ut a Varrone profecta sint. Sed, ut jam supra significavimus, scholae Sicyoniae vindicanda sunt: id quod neminem fugiet, qui ea cum iis locis, quibus de pictura judicatur, comparaverit (cf. p. 19 huj. dissert. p. 22, p. 23, n. 6). Videtur igitur Varro illa judicia, quum apud Xenocratem vel apud Antigonum invenisset et prorsus probasset, ex Graeco in Latinum convertisse, porro ex eo Varronis libro,

quae referebantur, Plinium in suum opus transtulisse. Jam si quaerimus, quo in opere Varro haec tradiderit, duae nobis non silentio praetereundae sunt conjecturae, altera Jahnii, qui (l. m. p. 135) ea probabiliter posse repeti putat ex illis libris, qui inscribebantur *de proprietate scriptorum*; quam conjecturam nos certe non malam esse putamus: altera Brunnii, relata a Kirchhofio in ind. schol. Berol. ann. 1856—57 p. 8, ubi haec disputantur: consentaneum esse, quum constet, quinque illa judicia esse Varronis, etiam eas, quae reliquae sint, paragraphos (68—71) indidem repeti. Si his ea, quibus de Telephane et Praxitele agatur, addantur, septem prodire unius generis artifices, quibus in hac postdignitatica, quam dicit, parte nemo adjiciatur. Quo fiat grave indicium fieri, eis libris Varronis in illa parte conscribenda Plinium usum esse, in quibus ipse septenarius numerus regnaret. Hanc sententiam non ea re everti, quod Telephanes ceteris ignobilior fuerit: ipsum enim Plinium addere, eum suffragiis eorum, qui compositis voluminibus artem complexi sint (quo in numero intelligi Varronem fuisse) summis laudibus celebrari. Praxiteles denique — nam omnia illa hic referri non opus est — quod et ultimum locum occupet et sine ullo judicio dimissus sit, ne id quidem non justa de causa factum esse. Hunc enim Plinio teste (§ 69) marmore feliciorem et clariorem fuisse. Videri ergo Varronem artis statuariae principes hoc ordine descri-

psisse: Phidiam, Polycletum, Myronem, Pythagoram, Thelephanem, Praxitelem, Lysippum.

Haec omnia ingeniosius quam verius disputata esse facillime demonstrabitur. Ut enim mittamus, quod illud ex numero septenario argumentum omnino infirmissimum est, ne ipse quidem ille numerus, quo tota conjectura sustinetur, non ex errore natus est. Nam Plinius in paragr. LXVIII loquitur de artificibus, qui compositis voluminibus illa (quae de Lysippi discipulis legimus) tradiderint, quo in numero Varronem non fuisse manifestum est. Sequitur, ut, quae de Telephane legimus, ex illis Graecorum, de quibus supra diximus (p. 16—37), fontibus hausta sint. Porro quae de Praxitele inveniuntur (§ 69), minime similia esse eorum, quae de quinque illis artificibus judicantur, ne ipsum quidem Brunnium fugit, qui tamen rem expedire conatus parum profecit: si quidem non demonstravit, Varronem potuisse sine maxima negligentia sculptorem excellentissimum non sculptorum alibei hebdomadi, sed statuariorum addere. Et haec quidem nos persequi non attinet: videtur enim Brunnii conjectura, quae, etiam si argumentorum ratione non habita per se spectetur, mihi minime placeat, jam quasi subruto fundamento concidisse.

Jam si transimus ad ea, quae interposita sunt de statuariorum vitis et de optimis eorum operibus, Plinius ipse nobis quasi viam monstrat, quum in paragrapho LXI Duridem, mox (68) artifices, qui de arte statuaria scripserint, laudat. Quamquam his

Graecis auctoribus nequaquam omnia videtur debere: namque ea potissimum opera clarissimi cujusque artificis enumerat, quae Romae fuerunt ea aetate. Jam igitur eos locos, qui non illis Graecis de arte scriptoribus debentur, subjicimus.

§ 54. *Fecit* (Phidias) *et cliduchum et aliam Minervam, quam Romae Paulus Aemilius ad aedem Fortunae hujusce diei dicavit, item duo signa, quae Catulus in eadem aede, palliata et alterum colossicon nudum.*

§§. 55, 56. *Fecit* (Polycletus) *et destringentem se et nudum talo incessentem duosque pueros item nudos talis ludentes, qui vocantur astragalizontes et sunt in Titi imperatoris atrio — item Mercurium, qui fuit, Lysimachiae, Herculem, qui Romae, hagetera arma sumentem, Artemona, qui periphoretos appellatus est.*

§ 57. *Myron — fecit et canem et discobolon et Perseum et pristas et satyrum admirantem tibias et Minervam, Delphicos pentathlos, pancratiastas, Herculem, qui est apud Circum Maximum in aede Pompeji Magni.*

§ 60. *Pythagoras Samius — cujus signa ad aedem Fortunae hujusce diei septem nuda et senis unum laudata sunt.*

His locis addimus unum ex libro XXXVI (§ 36), qui vel solus ad hanc quaestionem explanandam sufficiat:

In hortis Servilianis reperio laudatos Calamidis Apollinem illius caelatoris etc.

Hoc enim loco fit manifestum, Plinium indices

quosdam operum Romae collocatorum in manibus habuisse, ex quibus illa sumeret. Jam vero, quum locorum, quos supra exscripsimus, ratio sit simillima, non dubium est, quin et ipsi ex illis catalogis fluxerint. Quando vero illi catalogi scripti sint, non minus facile intelligitur. Ut enim praeteream illud, *et sunt in Titi imperatoris atrio*, Plinius infra (§ 84): *Ex omnibus, ait, quae retuli, clarissima quaeque jam sunt dedicata a Vespasiano principe in templo Pacis aliisque ejus operibus*. Videtur igitur Vespasianus, postquam illa artificum clarissimorum opera in omnibus templis ceterisque, quae fecerat, aedificiis collocavit, indices eorum conscribendos curasse, vel potius indices omnium signorum, quae tum Romae essent. Quibus in catalogis in praestantissimis operibus videtur additum fuisse *opus laudatum*, *opus nobilissimum*, similia. Id quod ex multis locis colligimus, quos hic significasse satis sit: sunt igitur hi potissimum: l. XXXIV §§. 60, 78, 79, 88; l. XXXVI §§. 25, 26, 29, 36. — Ex his catalogis Plinius permulta sumpsit (cf. p. 70.). Quod autem eorum non mentio fit, minime mirum est. Quis enim signorum vel picturarum indices inter auctorum libros enumeraret? Videntur vero Graece scripti fuisse (cf. l. XXXIV §§. 54, 55, 56, 75, 82 etc. XXXVI § 26 etc.). Jam antequam ad reliqua pergamus, id unum non praetereundum est, horum catalogorum primum fecisse mentionem Urlichsium, virum acutissimum (cf. *Scopas in Attica*. Einladungsschr. zur Winckelmannsfeier. Greifsw. 1854 p. 10. n. 2).

Nunc significabimus, quae Graecorum auctorum videantur esse:

§ 55. *Polycletus — artis opere judicatur.*

§ 57. *Myronem — versibus laudata.*

§ 59. *Vicit eum Pythagoras — celatum esset.*

§ 60. *Fuit et alius Pythagoras Samius, initio pictor etc. Hic supra dicto — Sostratum.*

§ 61. *Lysippum — non artificem.*

§ 63. *Nobilitatur Lysippus — Rhodiorum.* (quae sequuntur in codicibus et in libris typis descriptis, transponenda sunt. Cf. Bergk. Exercitt. Plin. fasc. I § 4). *Fecit et Alexandrum — orsus. Idem fecit — expressit.*

§§. 66—68. *Filios et discipulos — Spintharum pentathlum et Apollinem. Alii — existimant.*

§§. 69—71. *Praxiteles — cognominant. Item stephanusam — Alexander. Spectantur — meretricis. Habet et simulacrum — crederetur. Ipse Calamis — nobilior.*

Jam si primum agimus de iis locis, quibus laudantur auctores, de altero, ubi Duris citatur, disputari non opus est (cf. p. 27; p. 29). Qui altero loco laudantur artifices (§ 68), videntur Xenocrates et Antigonus esse, qui eodem modo laudantur in libro XXXV (§§. 67, 68), et Menaechmus atque Pasiteles. Xenocratem certe de illis Lysippi discipulis egisse satis verisimile est, quum ipse aut a Tisicrate aut ab Euthycrate doctus fuerit. Idem igitur etiam de Telephane tradidit, et secutus ipsum, opinor, Antigonus (cf. p. 18), dissentientes ab iis Menaechmus fortasse et Pasiteles.

Reliqua, quae supra Graecis auctoribus vindicavimus, nos non morabuntur. Nam quid sit Xenocratis, quid Menaechmi, quid Duridis, quid Antigoni, ne conabimur quidem demonstrare. Ut tamen illa omnia non a Romanis auctoribus profecta statuamus, id nos adducit, quod, quum inter Romanos unus Varro de artibus accuratius quaesivisse videatur, ea sunt, quae a Varrone exposita esse nemo crediderit; nisi forte quis putat, Varronem artis statuariae historiam scripsisse. Etiam id videtur constare, illa non a Pasitele tradita esse. Quis enim credet, Pasitelem, quum ipse ex magna Graecia oriundus esset (Plin. XXXVI § 40), silentio praeteriisse longe nobilissimum Pythagorae opus, Europam in tauro sedentem, quae erat Tarenti? (Tatian. c. Graec. 53 p. 116 Worth; Varr. L. L. V § 31; Cic. Verr. IV c. 60). In iis, quae de Praxitele traduntur (§§. 69—71), notandus est maximus Plinii error. Scribit enim, Harmodii et Aristogitonis statuas a Praxitele factas, esse a Xerxe in Asiam deportatas, quum nemo ignoret, Praxitelem centum annis post Xerxem floruisse. Hunc errorem ideo tangimus, quod egregie confirmat ea, quae supra de ratione, qua Plinius in naturali historia componenda versatus esset, proposuimus (p. 2). Nam si inter scribendum ipsos auctorum libros in manibus habuisset, non poterat in tantum errorem incidere.

Quae restant de clarissimis artificibus exposita, videntur auctoribus Romanis vindicanda esse. Sunt autem duae potissimum narrationes, quarum altera est in paragrapho LVIII, altera paulo infra (§ 62).

Priore loco narrat Plinius, Augustum signum quoddam Myronis, ab Antonio Alexandriam deportatum, Ephesiis restituisse. Haec fortasse apud Fenestellam invenit, qui scripsit annales et obiit novissimo Tiberii principatu (Plin. XXXIII § 146; cf. C. F. Hermanni dissert. de viris illustribus. Gott. 1848 p. 30). Altero loco (§ 62) narratur, apoxyomenum, Lysippi signum, ab Agrippa ante thermas collocatum, sublatum esse a Tiberio, mox vero reposcente populo repositum. Hoc traditum esse ab auctore, qui Tiberio imperante libros ediderit, nemo facile credet. Siquidem sub hoc principe Cremutio Cordo capitale fuit, quod editis annalibus laudatoque M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixisset (Tacit. ann. IV c. 34). Quodsi hic conjecturae audaciori locus est, equidem crediderim, Plinium illa invenisse apud Deculonem, quem alio loco (XXXV § 70) scribit tradidisse, Tiberium picturam quandam Parrhasii adamasse et LX sestertiis aestimatam cubiculo suo inclusisse. Quod enim Deculonis nomen non invenitur in auctorum catalogo libri XXXIV, ad hanc conjecturam refellendam sane non ita multum valet (cf. Jahn. l. c. p. 136).

Nunc antequam ad reliquam quaestionem pergamus, dicendum est de miro quodam errore Plinii, qui (§ 57), *Fecisse* (Myronem) *et cicadae*, ait, *monumentum et locustae carminibus suis Erinna significat.* Hoc enim falsum esse, discimus ex epigrammate quodam Anytae, quae sine dubio Erinnam imitata est, quo significatur, Myro quandam id monumentum

fecisse, non vero Myronem statuarium (anthol. Palat. VII, 190). Cujus erroris ideo mentionem facimus, quod ex eo apparet, Plinium epigrammata, quorum multa in his libris prosa oratione expressit, certe non omnia invenisse apud Pasitelem, sed ipsum legisse anthologias, ex quibus sumeret. In talem enim errorem Graecum auctorem non potuisse incidere manifestum est. Haec nos quasi in transitu disputamus contra Jahnium, qui in commentatione, cujus saepissime mentionem fecimus, (p. 124). *Non negamus, ait, fieri potuisse, ut Plinius ipse illa epigrammata in anthologia inveniret et quae placuissent, insereret in suum opus. Nobis tamen videtur verisimile esse, etiam haec eum invenisse apud Pasitelem.*

Nunc transimus ad alteram sectionis XIX partem, qua quae continentur, hic subjicimus.

Primum igitur Plinius de iis statuariis, qui principibus proximi fuisse censeantur, ita agit, ut, nominibus per literarum ordinem dispositis, in aliis artificibus id modo opus, propter quod maxime laudati sint, memoret, in aliis sententias ex illis epigrammatis expressas addat, in aliis, quae apud auctores invenit, pluribus exponat (§§. 72—83). Deinde mentionem facit artificum, qui Attali et Eumenis contra Gallos proelia fecerint (§ 84). Tum enumerat statuarios, qui aequalitate quidem celebrati, sed nullis operum suorum praecipui fuerint (§ 85). Sequuntur, qui ejusdem generis opera fecerint (§§. 86 — 90), tum qui athletas, armatos, venatores sacrificantesque fecerint (§ 91). In his quoque catalogis literarum ordo

observatur. Postremo de Callimacho statuario et de signo quodam juxta Rostra collocato pauca traduntur.

Sequitur, ut quaeramus, utrum Plinius hos artificum catalogos apud auctores invenerit, an ipse alia aliunde colligens composuerit. Quodsi jam deinceps de singulis disputamus, de primo quid statuendum sit, facile ad demonstrandum est. Sunt enim manifesta vestigia, ex quibus appareat, Plinium ipsum, quae apud plures scriptores invenerit, hic collegisse et in catalogi literarum ordine dispositi formam redegisse. Bis enim Cresilae fit mentio (§§. 74, 75), bis Lycii (§ 79): id quod inde factum esse apparet, quod ad ea, quae de his unum ex auctoribus suis secutus retulerat, alia aliunde sumpta in margine adjecerit (cf. Bergk. exercitt. Plin. fasc. 1 § 4), quae deinde non suo loco sint inserta. Accedit, quod hic nonnulli artifices praetereuntur, quorum et ipsorum hic erat mentio facienda: Boethum (§ 84) et Callimachum (§ 92) significamus. Sed jam restat, ut videamus, quos potissimum auctores hic secutus sit Plinius.

Primum manifestum est, multa hic sumpta esse ex indicibus illis, de quibus supra (p. 49) diximus. Id quod intelligitur ex loco jam supra allato (l. XXXIV § 84), ubi Plinius, *Ex omnibus*, ait, *quae retuli, clarissima quaeque in urbe jam sunt dicata a Vespasiano principe in templo Pacis aliisque ejus operibus.* Videntur jam haec potissimum ex catalogis signorum sumpta esse.

§ 73. *Baton — in Concordiae templo.*

§ 77. (Euphranoris) est *Minerva Romae* — *in aede Concordiae.*

§ 78. *Hegiae Minerva Pyrrhusque rex laudatur* (cf. p. 50) — *ante aedem Jovis Tonantis.*

§ 79. (Leochares fecit) *Jovem illum Tonantem in Capitolio ante cuncta laudabilem.*

§ 80. *Naucydes* — *censetur* (cf. p. 50).

Niceratus — *Romae.*

§ 82. *Strongylion* — *circumlatam.*

Item fecit — *illustravit.*

Multa tamen ex aliis fontibus fluxerunt, plurima, nisi fallor, ex Pasitelis periegesi, velut ea, quae de Leaena narrantur (§§. 72, 73), item, quae de Demetrio (§ 76), item, quae de Canacho (§ 75): imprimis autem, si Jahnio credimus (cf. p. 54), pars eorum, quae ex epigrammatis expressa videntur. Sunt autem haec:

§ 74. *Cresilas* (fecit) *vulneratum deficientem, in quo possit intelligi, quantum restet animae, et Olympium Periclem dignum cognomine; mirumque in hac arte est, quod nobiles viros nobiliores fecit.*

§ 77. *Euphranoris Alexander* (Paris) *est, in quo laudatur, quod omnia simul intelligantur, judex dearum, amator Helenae et tamen Achillis interfector.*

§ 78. *Eutychides* (fecit) *Eurotan, in quo artem ipso amne liquidiorem plurimi dixere.*

§ 79. *Leochares* (fecit) *aquilam sentientem, quid rapiat in Ganymede et cui ferat, parcentemque unguibus etiam per vestem puero.*

§ 81. *Silanion Apollodorum fudit* — *nec hominem ex aere fecit, sed iracundiam.* (cf. Jahn. l. c.)

Quae Plinius de artificibus, qui Attali et Eumenis proelia fecerint, scribit, ea et ipsa crediderim a Pasitele tradita fuisse.

Quae sequuntur de statuariis aequalitate celebratis sed nullis operum suorum praecipuis (§ 85), videtur Plinius ita, ut hic traduntur, apud auctorem invenisse, non vero ipse collegisse. Propter Stratonici mentionem, quem Pompeji aetate floruisse constat (Plin. XXXIII § 155; Brunn. hist. artiff. I p. 552), haec a Varrone prodita esse crediderim.

Sed de hoc loco jam satis dictum est: deinceps de duobus, qui sequuntur, catalogis erat quaerendum et disputandum. Sed quum de his nihil aliud, nisi id, quod de primo catalogo probabilitatem secuti supra (p. 55) proposuimus, potuerimus probabiliter demonstrare, praestat jam ad priorem libri XXXIV partem transire. Nam ne ea quidem, quae sequuntur in sect. XIX, aut digna sunt, de quibus disputetur, aut sunt ea, quorum auctores facile investigentur.

Caput III.

Quaeritur, quos auctores Plinius secutus sit in superiore libri XXXIV parte (§§. 1—48) iis locis, quibus de artificibus et de signis agit.

In superiore libri XXXIV parte passim inveniuntur, quae ad artium historiam pertinere videantur. Ea nobis nunc sunt auctoribus suis vindicanda.

Hic jam in prima disputatione notandus est error Plinii. Negat enim, signa esse Corinthia, quum constet, permulta fuisse (cf. Mart. XIV, 172, 177; Müller Handb. d. alten Kst. ed. 3. p. 423). Hic error inde natus est, quod, quum Plinius supra (§ 6) tradiderit, aes Corinthium casu mixtum esse, Corintho, quum caperetur, incensa, consentaneum sane fuit negare, esse clarorum artificum signa Corinthia. Sed contendere, omnino non esse signa Corinthia, consentaneum minime erat. Hic igitur error is est, qui verissime a Plinii ipsius negligentia et festinatione repetatur; ergo putabimus, ipsius naturalis historiae scriptoris esse, quae de aere Corinthio (§§. 6, 7) traduntur.

Quae infra (§§. 9, 10) de aere Deliaco et Aeginetico legimus, crediderim Varronis esse, quem video etiam aliis locis de materiis, ex quibus artificum opera fierent, quaesivisse (cf. l. XXXV § 154; XXXVI § 14).

Nunc venimus ad ea, quae longe maxima ex parte historicis Romanis debentur. Laudatur enim tribus locis L. Piso (§§. 14, 29, 30), semel citatur Valerius Antias (§ 14); infra autem testis profertur Annius Fetialis (§ 29). Annales, ex quibus Plinius se ea sumpsisse significat (§ 24), quae de statuis quibusdam publice positis tradit, non videntur esse annales maximi, quippe qui non laudentur in catalogo, sed potius L. Pisonis annales [12]).

---

12) Annales maximos hic intelligendos esse, negat etiam

Sed haec satis sit leviter tetigisse. Nam si quis accuratius de his quaerere velit, haud scio, an longam disputationem desiderent, ab eo, quod nobis proposuimus, prorsus alienam. Pergimus igitur ad reliqua.

Quae de arte statuaria *Italiae quoque familiari et vetusta* (§§. 33, 34) traduntur, ea ab Varrone exposita esse apparebit alio quodam loco, qui est in libro XXXV (§ 157), comparato, ubi Varrone laudato Plinius scribit, artem fingendi esse elaboratam in Italia et maxime in Etruria. Uterque locus videtur sumptus esse aut ex libris rerum urbanarum, aut ex libris de vita Populi Romani (cf. Jahn. l. c. p. 134).

Nunc venimus ad auctorem, de quo pluribus disputandum est, ad Licinium Mucianum. Sunt enim haec apud Plinium (§ 36): *Rhodi etiamnum tria milia signorum esse Mucianus ter consul prodidit.* Jam, quum de Muciani vita, qui amicus Vespasiani et unus e principibus ejus aetatis viris fuit (cf. Tacit. hist. l. I c. 10; V c. 26 et multis aliis locis), hic quaerere non attineat, demonstrabimus, quae potissimum in iis, de quibus agimus, libris Muciano vindicanda sint. Primum igitur duo loci sunt, ubi Muciano laudato res, quae Rhodi fuerint visu dignae traduntur: quorum locorum alterum modo exscripsimus, altero (XIX § 12) narratur, Mucianum vidisse

Hullemanus (de annall. max. p. 28). De Pisone cf. Bernh. hist. lit. Rom. p 524; Liebaldt, de L. Pisone; Numb. 1836, prol. schol.; de Antiate Bernh. l. c. p. 527; Liebaldt, de Valer. Ant. Numb. 1840, prol. schol. De Annio Fetiale nihil invenimus.

Amasis regis Aegyptiorum thoracem Lindi in templo Minervae. Jam vero, quum Plinius praeter Mucianum in his libris non laudet aequalem auctorem, qui de Rhodo insula ejusque urbibus et templis egerit, sequitur, ut etiam hi loci Muciano vindicandi sint.

XXXIII § 81. *Minervae templum habet Lindos insulae Rhodiorum, in quo Helena sacravit calicem ex electro; adjicit historia, mammae suae mensura.*

§ 155. *Exstant omnium* (Acragantis, Boethi, Myos) *opera hodie in insula Rhodiorum, Boethi apud Lindiam Minervam — Cupidines.*

XXXIV §§. 41, 42. *Ante omnes autem in admiratione fuit Solis colossus Rhodi — fuit. Hoc simulacrum post quinquagesimum sextum annum terrae motu prostratum, sed jacens quoque miraculo est. Pauci pollicem ejus amplectuntur. — Bryaxis.*

XXXV § 69. (Parrhasius pinxit) *in una tabula, quae est Rhodi, Meleagrum, Herculem, Persea, haec ibi ter fulmine ambusta neque obliterata hoc ipso miraculum auget.*

Etiam in aliis libris Mucianus saepe laudatur, et quidem iis potissimum locis, ubi res aut aperte falsae aut parum credibiles traduntur. (cf. VII §§. 36, 159; X §§. 49, 67; XV § 244; XXVIII § 29; XXXI §§. 16, 19; XXXVI §§. 131, 134; adde l. XXXV § 69). Apparet igitur, Mucianum fuisse hominem superstitiosum credulumque et auctorem minime gravem; quamvis callidus et facundus fuerit (cf. Tac. hist. II c. 80; III § 53).

Nunc si revertimur eo, unde digressi sumus, videndum est, quis tradiderit ea, quae in paragrapho XXXVII parum credibilia de Lysippi statuarii fecunditate narrantur. Videntur Duridis esse, quem talium fabularum aucupem fuisse supra significavimus (p. 30). Accedit, quod idem mox (§ 61), ubi de Lysippo agitur, citatur. Huic igitur haec vindicamus: Pasiteli vero, quae de Lysippi Hercule (§§. 39, 40), qui colossus Tarenti fuit (cf. p. 52), traduntur.

Caput IV.

Demonstratur, quibus auctoribus Plinius ea debeat, quae in libro XXXV (§§. 151—158) de arte fingendi traduntur.

Quos auctores Plinius in ea parte libri XXXV, qua de fictoribus agit, secutus sit, facile est ad demonstrandum. Quamquam sunt, quae explanari opus sit. Nam eorum locorum, de quibus agemus, ordo tantopere turbatus est, ut pleraque vix intelligi possint. Quod ut appareat, singula jam exponemus.

Primum igitur refert Plinius, quo modo ars plastica Sicyone dicatur inventa esse: deinde (§ 152) scribit, esse etiam, qui eam Sami tradant inventam ab Rhoeco et Theodoro, multo ante Bacchiadas Corintho pulsos. Mox Damaratum Corintho profugum comitatos esse fictores quosdam: ab iis Italiae plasticam traditam. Et haec quidem, quamquam errore non vacant, tamen recto ordine exposita sunt. Jam

vero Plinius revertitur ad Dibutadem, quum scribit: *Dibutadis inventum est — propter hunc plastae appellati.* Sequuntur deinde, et quidem non suo loco, haec (§ 153):

Hominis autem imaginem gypso ex facie ipsa primus omnium expressit — Lysistratus Sicyonius, frater Lysippi. — Idem et de signis effigies exprimere invenit, crevitque res in tantum, ut nulla signa statuaeve sine argilla fierent. Quid vero, quod jam sequuntur haec: *Quo apparet, antiquiorem fuisse hanc scientiam, quam aeris fundendi.* Nonne haec hoc loco prorsus inepta sunt? Quid enim? Num inde, quod Lysistratus, qui Alexandri aetate floruit, de signis effigies exprimere invenit, sequitur, ut ars fingendi antiquior fuerit arte statuaria?

Jam Plinius sic pergit, ut scribat (§ 154): *Plastae laudatissimi fuere Damophilus et Gorgasus, iidem pictores, qui Cereris aedem Romae ad Circum Maximum utroque genere artis suae excoluerunt — ; ante hanc aedem Tuscanica omnia in aedibus fuisse auctor est Varro, et ex hac, quum reficeretur, crustas parietum excisas tabulis marginatis inclusas esse, item signa ex fastigiis dispersa.* Interposita sunt, quae quid hic sibi velint, nemo facile dixerit. Sequuntur enim haec: *Fecit et Chalcosthenes cruda opera Athenis, qui locus ab officina ejus Ceramicus appellatur* (§ 155). Deinde refert Plinius, quae de tribus egregiis fictoribus, Possi, Arcesilao, Pasitele apud Varronem invenit. Tum sic pergit: *Praeterea elaboratam hanc artem Italiae et maxime Etruriae, et Volcanium*

Vejis accitum, cui locaret Tarquinius Priscus Jovis effigiem in Capitolio dicandam; — materiae nomen in urbe retinet.

Hic igitur est singulorum locorum apud Plinium ordo; quem perversum esse apparet. Jam nos, quae ejusdem auctoris sint et quae cohaeserint inter se, demonstrabimus.

Primum igitur ea, quae Varronis sunt, hoc fuerunt ordine ponenda:

§ 157. (Praeterea) *elaboratam hanc artem* etc. — *in urbe retinet.*

§ 154. *Plastae laudatissimi — dispersa.*

§§. 155, 156. *M. Varro tradit sibi cognitum — antequam finxit.*

Videntur autem non omnia ex eodem Varronis libro sumpta esse. Sed, quum probabiliter Jahnius (l c. p. 134) conjiciat, quae de Volcanio (§ 157) et de Damophilo et Gorgaso (§ 154) tradantur, aut ex libris rerum urbanarum aut ex libris de vita Populi Romani sumpta esse (cf. supra p. 59), quae de Possi, Arcesilao, Pasitele narrantur, non ex illis libris fluxisse satis manifestum est. Haec autem cohaeserunt apud Varronem cum iis, quae in libro XXXVI (§§. 39—41) de Pasitele, Arcesilao, Coponio traduntur: id quod nemo, qui ambos locos inter se comparaverit, non videbit. Et hoc quidem Jahnium non fugit, qui tamen videtur errare, quum affirmat, haec sumpta videri ex eo logistorico, qui inscriptus fuerit: *Gallus Fundanius, de admirandis.* Nam primum videtur Varro illo libro rerum naturalium miracula tradidisse (Ritschl,

ind. lectt. Bon. 1845—46 p. VIII; Krahner, de Varr. antiqq. p. 15). Deinde, ut Varro in Gallo Fundanio etiam artificum opera admiranda non praeterierit, non tamen verisimile est, eum de aequalium potius artificum operibus, quam de Jove Olympio Phidiae, de templo Ephesiae Dianae, de aliis operibus nobilissimis et per totum orbem terrarum claris (cf. Ampel. lib. membr.: *Miracula mundi*) egisse. Gravissimum vero argumentum, quod contra Jahnii sententiam afferimus, hoc est. Demonstrat Ritschelius (l. c. p. XII) Schneiderum (de Varr. vita et scriptis p. 217) secutus, probabili argumentatione, logistoricum illum multo ante annum DCC a. U. c. scriptum esse. Atqui is liber, ex quo illa apud Plinium sumpta sunt, multo recentior est; id quod demonstrabimus. Ut igitur praetereamus, ex mentione Veneris Genitricis (l. XXXV § 156) a Caesare in foro ejus collocatae sequi, ut ille liber post annum DCCIX compositus sit, eo loco, quem ex libro XXXVI (§§. 39—41) attulimus, Plinius, *Varro*, ait, *scribit se habuisse marmoream Arcesilai leaenam* etc., alio autem loco, qui et ipse ex eo libro, de quo quaerimus, sumptus videtur (l. XXXIII § 154), haec sunt: *Varro se et aereum ejus* (Mentoris) *signum habuisse scribit.* Jam vero, quum appareat, Varronem tum, quum illa scriberet, aereum Mentoris signum et Arcesilai leaenam non amplius habuisse, videtur Varro ea, quae in quaestione versantur, tradidisse in libro, qui post annum DCCXIII a. U. c. scriptus sit. Nam quum anno DCCXIII Varronis bibliothecam ab Antonii

direptam constat (cf. Gell. III, 10; Popma, de Varr. vita, in ed. Bipont. librorum de L. L. p. XI), non est dubium, quin tum etiam signa illa rapta sint. Ergo non possunt ea, quae de Pasitele, Posi, ceteris traduntur, ex Gallo Fundanio sumpta esse. Ad quem tamen Varronis librum referenda sint, nos quidem non possumus investigare.

Nunc videndum est, quorum auctorum sint reliqua, de quibus quaerere instituimus. Et ea quidem, quae de Rhoeco et Theodoro, de Euchire, Diopo, Eugrammo traduntur (§ 152), Varronis esse nemo suspicabitur. Quis enim credet, Varronem ignorasse, a Rhoeco et Theodoro non plasticam artem inventam esse, sed scientiam aeris fundendi? (cf. Paus. III c. 12 § 8; VIII c. 14 § 5; X c. 38 § 3.) Quodsi jam quaerimus, unde natus sit hic error, Welckerus vir ingeniosissimus probabilem sententiam proponit quum scribit (ad Philostrat. p. 196), Plinium, quum videret, Rhoecum et Theodorum apud Graecos scriptores nonnunquam πλάστας appellari (cujus vocabuli significatio quam late patuerit, nemo ignorat), credidisse, eos fictores fuisse et plasticae artis inventores. Sed hic error non Plinio culpae dandus est, sed Nepoti. Id quod colligimus ex ipsius Plinii verbis, qui supra (§ 16) *Hunc* (Ecphantum) *eodem nomine*, ait, *alium fuisse, quam quem tradit Cornelius Nepos secutum in Italiam Damaratum — mox docebimus.* Videtur igitur Nepos tradidisse, plasticam Sami inventam esse: mox Corintho Ecphantum, Euchirem, Diopum, Eugrammum comitatos esse

Daedalum in Italiam fugientem. Nam ne putemus, hoc ipso loco (§ 152) Plinium id solvere, quod supra (§ 16) promisit, et haec contra Nepotem proferre (id quod Silligius censet), id obstat, quod hic nihil disputatur contra Nepotem et Ecphanti ne mentio quidem fit. Veri igitur simillimum est, haec quoque Nepoti vindicanda esse.

Nunc si transimus ad reliqua, videntur haec cohaesisse inter se apud auctorem:

§ 151. *Fingere ex argilla similitudines Butades Sicyonius figulus primus invenit — Corinthum everterit, tradunt.*

§ 152. *Butadis inventum est — propter hunc plastae appellati.*

Deinde videntur secuta esse haec:

§ 153. *Fecit et Chalcosthenes — Ceramicos appellatur.*

Haec igitur ejusdem sunt auctoris. Quamquam, utrum Pasitelis sint, an Varronis, nobis quidem non liquere fatemur. Hoc certe constat, si Graeci auctoris sint, Pasitelis esse: apparet enim, eum, qui haec tradiderit, post Corinthum eversam fuisse (cf. § 151). Alterius utrius etiam ea videntur esse, quae de Lysistrati invento traduntur. Utrius tamen sint, non ausim statuere.

Caput V.

Quaeritur, quibus auctoribus ea, quae in libro XXXVI (§§. 9—43) de sculptoribus traduntur, vindicanda sint.

Quae in libro XXXVI de sculptorum aetatibus et vitis atque de clarissimi cujusque operibus traduntur, praeter ea, quae ex catalogis, de quibus supra (p. 49, p. 50) disputavimus, sumpta sunt, pleraque debentur Pasiteli, Varroni, Muciano. Id quod deinceps demonstrare in animo est. Primum igitur dicemus de iis locis, quibus Varro laudatur; qui tres sunt. Primus est in paragrapho XIV, ubi Plinius, postquam de Dipoeno et Scyllide, de Mala ejusque filiis, nepotibus, pronepotibus egit (§§. 9—14), *Omnes autem*, ait, *candido tantum marmore usi sunt, e Paro insula, quem lapidem coepere lychnitem appellare, quoniam ad lucernas in cuniculis caederetur, ut auctor est Varro (multis postea candidioribus repertis, nuper vero etiam in Lunensium lapicidinis)*. Hic videtur quaerendum esse, utrum Varro ea modo tradiderit, quae exscripsimus, an etiam ea, quae praecedunt exposita de antiquissimis sculptoribus. Qua in quaestione si probabilitatem sequimur, recte omnia illa Varroni vindicabimus. Nam et ea, quae hic diligenter et acute de aetatibus artificum disputantur, ab ingenio et doctrina Varronis minime abhorrent, et scimus, Varronem multum esse versatum circa insulas maris Aegei, eundem etiam Ambraciae

per aliquot menses commoratum (Plin. XVIII § 307; Ritschl, Rhein. Mus. N. F. VI p. 500). Satis igitur probabile est, ea omnia esse Varronis: quum hoc certe constet, omnia esse unius auctoris. Nam non solum non pugnant haec inter se, sed etiam necessario cohaerent: id quod demonstrabimus, quum longe aliam de his locis sententiam proposuerit Jahnius (l. c. p. 141), cujus verba hic subjicere visum est:

Plinius beginnt freilich (XXXVI § 9) *marmore sculpendo primi omnium inclaruerunt Dipoenus et Scyllis; allein im Folgenden widerlegt er selbst dieses „primi", indem er die berühmte Bildhauerfamilie des Malas erwähnt und berechnet, dass diese schon um viele Olympiaden früher thätig war, als die zuerst erwähnten. Wahrscheinlich lagen ihm hier verschiedene Quellen vor.*

Haec igitur Jahnius disputat: quem fugit, quod Plinius Dipoenum et Scyllidem dicit primos marmore sculpendo inclaruisse, Malam sculptorem jam ante fuisse. Quod si tenemus, nihil est, quod nos hic offendat. Nam videmus in omnibus artibus ante, quam essent, qui earum laude florerent, fuisse, qui eas inchoarent: id quod etiam in arte sculpendi factum sit necesse est. Ergo nihil est, quod obstet, ne uni illa omnia auctori vindicemus: quem Varronem videri esse supra (p. 67) demonstravimus.

Alter locus, ubi Varronis mentio fit, est paulo infra (§ 17), ubi haec sunt: *Id* (signum Nemesis ab Agoracrito factum) *est positum Rhamnunte pago Atticae, quod Varro omnibus signis praetulit.*

Jam vero, quum de tertio loco, ubi Varro laudatur, jam supra (§. 63) egerimus, transimus ad ea, quae de Phidia traduntur (§§. 18, 19). Quae Graeci auctoris esse, quum ex miro quodam Plinii errore, de quo mox dicemus, appareat, tum intelligitur ex illo *Pandoras genesin appellant.* Verissime enim monet Jahnius (l. c. p. 126), hoc *Pandoras genesin*, quo nihil nisi ipsum caelaturae argumentum significetur, in Plinio ita proferri, quasi sit nomen ab ipsa re alienum, quod forte fortuna in ea haeserit. Sequi videtur, ut Plinius illa ex Graeco in Latinum transtulerit. Error autem Plinii, cujus modo mentionem fecimus, hic est. Scribit Plinius, ubi de Minerva Phidiae eborea agit, peritos mirari et serpentem et sub ipsa cuspide aeream sphingem. Id quod falsum esse constat, quum Pausanias (l. I c. 24 § 5), qui ipse vidit illud signum, scribat, in casside sphingem esse collocatam. Jam vero etiam hoc erratum, quum ex Graecis verbis male intellectis natum videatur esse, firmat eam sententiam, quam supra proposuimus. Sunt igitur haec de Phidia tradita Pasitelis, quem unum ex Graecis artium scriptoribus Plinius in hoc libro secutus est. Eidem videtur debere, quae infra (§§. 20—24) de Praxitele et Cephisodoto tradit, ita tamen, ut multa et ex catalogis (cf. p. 49, p. 50) et ex Romanorum auctorum libris adjecerit. Certe Muciani videntur ea esse, quae ita referuntur, ut aequalī Plinii auctori crediderīs deberi (§ 21 *Aedimulu — admiratio est.* § 22 *— memoratur*).

Laudatur hic ex Romanis auctoribus unus Cicero

(§ 22) his verbis: *Ejusdem* (Praxitelis) *est et Cupido objectus a Cicerone Verri, ille, propter quem Thespiae visebantur.* Quem locum ideo tangimus, quod declarat, nos vere in praefatione hujus commentationis Plinium summae negligentiae et festinationis incusasse. Apparebit enim, Plinium ea, quae a Cicerone de duobus Praxitelis signis narrantur, mirum in modum confudisse. Nam apud Ciceronem (in Verr. IV § 4) haec sunt: *Erat apud Hejum* (Mamertinum) *sacrarium — in quo signa pulcherrima quattuor, — unum Cupidinis, marmoreum, Praxitelis. — Idem, opinor, artifex ejusdem modi Cupidinem fecit illum, propter quem Thespiae visuntur.*

Nunc significabimus eos locos, qui ex catalogis operum Romae collocatorum profecti sint:

§ 13. *Romae — fecit.*

§ 23. *Romae Praxitelis opera sunt — Neptunus.*

§ 24. *Romae ejus opera sunt — Dianae.*

§§. 25, 26, 27, 28, 29.

§ 32. *Timothei manu — Evander.*

§ 33. *In his* (Pollionis monumentis) *sunt — Taurisci.*

§§. 34, 35, 36.

De his locis disputari non opus est: nam de fonte, ex quo fluxerint, supra (p. 49, p. 50) videtur satis esse dictum.

Quae de artificibus, qui Mausoleum sculpturis ornaverint, atque de ipso Mausoleo traduntur (§§. 30, 31), Pasitelis videntur esse. Siquidem ex Graeco

conversa esse colligimus ex miro illo *Pteron vocavere circulum* (cf. Campen p. 69; Jahn. l. c. p. 186).

Sunt etiam in hoc libro, quae Plinius non aliis auctoribus debere, sed ipse primus literis mandasse videatur; velut haec (§ 34): *Parentum hi certamen de se fecere, Menecratem videri professi, sed esse naturalem Artemidorum:* quae Plinius sine dubio ex inscriptione operis alicujus illorum artificum (Apollonii et Taurisci) refert. Item ipse Plinius videtur auctor habendus esse eo loco, ubi de Laocoonte agit (§ 37).

Sed jam finem facimus: non quin restent, quae suis auctoribus vindicanda sint, sed quod de reliquis locis, qui ad artium historiam pertinent, ne probabilia quidem assecuti sumus.

Index locorum naturalis historiae, de quorum auctoribus quaeritur in dissertatione.

Index auctorum, quos Plinium secutum esse in dissertatione demonstravimus, locorumque iis vindicatorum.

Additamentum.

Quum jam absolvissemus hunc libellum, in manus nobis venit egregia Brunnii de auctorum indicibus Plinianis disputatio (Ind. scholl. Bon. ann. 1856—57), qua primus omnium verissime perspexit et demonstravit, quid Plinius in catalogis conscribendis secutus esset. Neque tamen, etiamsi illum libellum jam prius legissemus, ex iis, quae vir doctissimus invenit, multum fructus ad hanc nostram quaestionem redundare poterat. Nam quum artium scriptores, de quibus egimus, plerique omnes a Plinio in ipso opere laudentur et quidem iis locis, ubi unus quisque eorum primum a Plinio videatur inspectus et aliqua ex parte expressus esse, sequitur, ut ille ordo a Brunnio perspectus nos in illa quaestione explicanda non adjuvaturus fuerit. Neque tamen fas esse duximus non adjicere dissertationi nostrae libelli Brunniani mentionem.

VITA.

Henricus Fridericus Adolphus Brieger, Pomeranus, natus sum Boenkendorfii a. d. IV id. Oct. ann. MDCCCXXXII, patre Carolo Friderico ludi magistro, matre Dorothea ex gente Reimers, quibus adhuc summi numinis beneficio superstitibus gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis quum a patre optimo, mox, postquam parentes sedem Gryphiam transtulerunt, a beato Schubertio scholae privatae magistro imbui coeptus essem, inter discipulos gymnasii Gryphiensis, quod tunc floret Hieckio directore, receptus a beato Glasewaldtio vere anni MDCCCXLIII, diu deinde multumque valetudinis infirmitate impeditus tandem anni MDCCCLIII auctumno cum maturitatis testimonio dimissus sum. Tum a viro praestantissimo, beato Berndtio, in civium academicorum numerum receptus et ab illustri Kosegartenio in album ordinis theologici inscriptus sum, theologiae et philologiae pariter me operam daturum professus. Mox tamen, quum me rem majorem, quam quae a me praestari posset, suscepisse sentirem, ut totum me darem ad literarum antiquarum studium, illo ordine relicto, ab illustri Müntero auctumno anni MDCCCLIV in philosophici ordinis album inscriptus sum. Scholis interfui v. v. ill. Schoemanni, Kosegartenii, Hahnii, Schirmeri, Urlichsii, Susemihlii, Hertzii, Schildneri, Erichsonii. Omnibus his viris egregie de me meritis, quorum unum, beatum Erichsonium, nuper amisimus, maxime vero viris praestantissimis Schoemanno, Urlichsio, Hertzio, seminarii philologici, cujus per tres annos alumnus fui, rectoribus pio animo gratias ago maximas.

THESES.

I.

Apud Terentium in Eunuchi actus III scenae V versu XII genuinam lectionem nondum ab editoribus restitutam esse. Videri legendum: Quid mussas?

II.

Apud Horatium in libri III carminis IV versu XXXVIII recte Bentleium scripsisse: Militia simul fessas cohortes reddidit oppidis.

III.

Male eum, qui gloriatur, se Pervigilium Veneris pristino nitori restituisse, versu ejus carminis XXI igneo mutasse in ligneo.

IV.

Male eundem in sequente versu pro, Unico marita nodo non pudebit solvere, quae vulgata lectio est, scripsisse: Unico munita nodo non pavebit solvere.

V.

Phaedrum non melius fabulas scripsisse, quam Cornelium Nepotem res gestas: neutrum a quartae quidem classis discipulis legendum esse.

VI.

Doctores umbraticos esse, qui in scribendo Ciceronem ita nobis imitandum censeant, ut ab Quinctiliano, Plinio Caecilio, Tacito apte et eleganter usurpata spernamus.

VII.

Ineptam esse jactationem eorum medicorum et naturae scrutatorum, qui, non esse animum diversum a corpore, se demonstrare posse glorientur.